DE

SPECULO REGIS EDWARDI III

CHARTRES. — IMPRIMERIE DURAND, RUE FULBERT.

DE

SPECULO REGIS EDWARDI III

SEU TRACTATU QUEM DE MALA REGNI ADMINISTRATIONE

CONSCRIPSIT SIMON ISLIP

CUM UTRAQUE EJUSDEM RECENSIONE MANUSCRIPTA

NUNC PRIMUM EDITA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

JOSEPHUS MOISANT

PARISIIS

APUD ALPHONSUM PICARD

82, VIA BONAPARTE, 82

1891

DILECTISSIMAE AC DESIDERATISSIMAE

SORORI MEAE

ANNAE-MARIAE-THERESIAE

SPECULUM REGIS EDWARDI III

SEU TRACTATUS QUEM DE MALA REGNI ADMINISTRATIONE

CONSCRIPSIT SIMON ISLIP

CUM UTRAQUE EJUSDEM RECENSIONE MANUSCRIPTA

NUNC PRIMUM EDITA

LIBER I

CAPUT I

1. IN SIMONIS ISLIP VITAE CURRICULUM BREVIS CONSPECTUS

Saeculo xiv, regnante in Anglia Edwardo III, regalia jura, nomine *procurationum* et *praeemptionum* nuncupata, cum aegerrime ferret populus, utpote qui a provisoribus graviter vexaretur, eo rerum statu commotus Simon Islip omnium se querelarum praeconem praebuit.

Is oriundus erat ex oppidulo in Oxoniensi comitatu sito quod vocatur Islip, in quo etiam rex Edwardus ille cognomine « Confessor », ad lucem editus est[1]. Haud paucis scriptoribus testantibus, a loco nativitatis nomen duxit Simon Islip.

Ad doctrinam et ad litteras institutus est in collegio

1. *Historical Towns, Oxford.* Auctore Car. Will. Boase, cap. III, p. 69.

Mertonis[1], in eoque doctoris lauream adeptus. Anno quidem 1322, Islip archidiaconus ecclesiae Stovensis, tum anno 1337 generalis vicarius episcopi Lincolniensis factus est[2]; cujus muneris causa, haud semel in Parliamenti concilia se contulit, « ipso episcopo in remotis agente[3] », anno 1337, die 20° Decembris; anno 1338, die 15° Novembris et die 26° Decembris; anno 1343, die 24° Februarii. Die vero 20° Junii ejusdem anni 1343, ab Edwardo rege archidiaconatum ecclesiae Cantuariensis accepit[4]. In omnibus enim rebus agendis, tanta prudentia tantaque diligentia[5] pollere visus est « ille vir laudabilis et honestae conversationis[6] », ut a rege dignus existimaretur qui majorum rerum curam susciperet. Siquidem, post duos annos, die primo Julii, anni 1345, designatus est unus e consiliariis Leonelli ducis Clarenciae, facti custodis regni, « absente rege[7] ».

Eodem profecto die unus fuit e septem viris qui « omnes simul, vel quorum sex, quinque, quatuor, tres, « duo, tractarent cum mercatoribus regni Angliae et « aliis personis quibuscumque, tam indigenis, quam alie- « nigenis, de mutuis et chevanciis, de obligationibus, « solutionibus, assignationibus et remunerationibus com- « petentibus hujusmodi creditoribus, pro rege et ejus « nomine faciendis. »

1. C. W. Boase, *op. cit.*, pp. 29, 73, 74.
2. Newcourt, *Repertorium anglicanum*, t. I, p. 178.
3. *Report on the dignity of a peer*, t. IV, app. I.
4. *Pat.* 17, Edw. III, p. I.
5. *Anglia Sacra*, t. II, p. 43.
6. *Polychronicon* Ranulphi de Higden, t. VIII, p. 365.
7. *Pat.* 19, Edw. III, part. I. — Rymer, t. III, p. 50. — Newcourt, *loc. cit.*

Factus postea « portitor sigilli privati », tandem, die 24° Julii, anni 1348, regis cancellarius et secretarius electus est[1], quippe qui jamdiu a Joanne Stratford, archiepiscopo Cantuariensi, et ab Henrico Burghersh, episcopo Lincolniensi, Edwardo III singulariter commendatus esset[2].

Cum autem Thomas Bradwardin, archiepiscopus Cantuariensis, e vita decessisset, ejus in locum Simon Islip a monachis suffectus est[3]. Hac igitur electione a Summo Pontifice Clemente VI approbata atque confirmata, « die dominica, in vigilia S. Thomae Apostoli, anno Domini « MCCCXLIX, in ecclesia sancti Pauli Londonii, adscitis « domino Willelmo, Wintoniensi episcopo, et domino « J. Menevensi episcopo, comprovincialibus, fuit aucto- « ritate apostolica consecratus, et postmodum in eccle- « siam Cantuariensem intronizatus[4]. »

Totam archiepiscopi vitae consuetudinem explicare, non est nobis propositum, sed ut eam aliquantulum adumbrare possimus, nobis liceat illud referre, quod in capite Harleiani cujusdam manuscripti in Musaeo Britannico inscribitur[5]. « Simon, ait ille qui hunc codicem exaravit, humanioribus litteris, utrique juri, ac theologiae operam

1. Rymer, t. III, part. I, p. 57.

2. Newcourt, *op. cit.*, t. I, p. 178. — *Anglia Sacra*, t. I, pp. 21, 30, 374, 766. — Multa sunt testimonia apud Thomam Rymer, quibus satis aperte docemur, quanti rex gravitatem et sapientiam Simonis Islip faceret. Cf. Rymer, t. III, part. I, pp. 85, 131, 136, 139.

3. *Archivium capituli ecclesiae Cantuariensis.* Reg. B, fol. 78^{b}. Litterae Prioris et capituli eccl. Christi Cantuar., directae Papae super electionem Simonis de Islip in archiepiscopum Cantuariensem. — *Regestum Simonis Islip*, apud Lambeth Palace, fol. 3^{b}, 4^{a}. — *Additi- tius codex* 6067 in Musaeo Britannico. — *Chronicon Angliae*, p. 29.

4. *Anglia Sacra*, t. II, p. 43.

5. *Harl.*, 6237, fol. 1 (in Musaeo Britannico).

dedit. Cum praeterea, simul cum singulari prudentia et summa morum integritate [1], conjunxisset insignem multarum rerum scientiam, ad maxima in rei publicae administratione obeunda munia vocatus est a rege, postremo ab eodem archiepiscopus Cantuariensis designatus. Non autem ipse tantum doctrinam prosecutus est summo amore, sed ut multi in studiis versarentur, tentavit, pecunia et laude viris litteratis magnopere donanda, efficere [2] ».

In Oxoniensi Academia pulchrum collegium aedificavit[3], cui hoc nomen dedit : *Cantuariensis aula*[4]. Inter cetera dona eaque praeclara, quae a Deo acceperat, singularem habuit praedicandi verbi divini gratiam, et insignem animarum zelum.

Haec referre operae pretium esse duxi et cuivis legenti proponere, quo facilius possit « *Speculi Regis Edwardi III* » scriptorem qualis sit cognoscere [5].

1. *Anglia Sacra*, t. II, p. 43 : homo quidem Deo devotus et hominibus gratiosus. — F. Philips, *The antiquity, legality, reason, duty and necessity of preemption and purveyance for the King.*, p. 177, ...in many things a man (Simon Islip) of a severe life and discipline. — *Litterae Cantuarienses*, in lucem editae a J. B. Sheppard (Rolls series), t. II, pp. 308, 394.

2. *Archiv. capituli eccl. Cantuar.*, Reg. L, fol. 88. Littera supplicatoria Simonis Islip archi. pro monachis mittendis ad universitates : Dilecte fili, cum decor nostri monasterii in monachis litterarum scientia praeditis consistat, maxime iis diebus, improbaveruntque multi nobis quod juniores monachos in Universitate studentes non habemus... — *Litterae Cantuarienses*, t. II, p. 332. — W. F. Hook, *Lives of the Archbishops of Canterbury*, t. IV, p. 129.

3. *Archiv. capituli eccl. Cantuar.*, Reg. R, fol. 67 ; Reg. B, ubi multa passim de « Cantuariensi aula », reperiuntur. — *Regestum Simonis Islip* (Lambeth Palace), fol. 213. — *Litterae Cantuarienses*, t. II, pp. xxv, xxix. — Somner, *Antiquities of Canterbury*, part. II, p. 207. — *Anglia Sacra*, t. II, p. 46.

4. Hodie « *Canterbury quadrangle* », in collegio Christi, Oxonii.

5. Teste W. F. Hook, *op. cit.*, t. IV, p. 130, inter omnes sive

Ni fallor, hujusmodi testimonium satis respondet quaerentibus fueritne Simon Islip in ea conditione, ut clare res in Anglia peractas perspiceret, impugnaveritne regem

praelatos, sive sacerdotes, qui leges de dirigendis Ecclesiae rebus tulerunt, insignem locum Simon Islip obtinet, quippe qui non tantum eximia, sapientissimaque decreta haud raro promulgaverit, sed etiam diligenter indicaverit, quid in hoc vel illo casu gerendum esset, quo pacto talis aut talis finis melius attingeretur. In pluribus codicibus exstant constitutiones Simonis Islip : ex codicibus manuscriptis *Johannis Mori episcopi Norwicensis*, n° 9421, « Constitutiones Bonifacii, Peccham, Islip... (*Catalogi Librorum manuscriptorum Angliae et Hiberniae in unum collecti cum indice alphabetico.* Oxoniae, an. Dom. MDCXCVII) ; — *Ashmoleanus*, 1125, fol. 110^b-4, 117, 120. — *Id.*, 1146, fol. 96, 97. — *Rawlinsonianus*, C, 100, fol. 144 (Wilkins, *Concilia Magnae Britanniae et Hiberniae*, t. III, pp. 50 et 495. — Spelman, *Councils and ecclesiastical documents relating to Great Britain and Ireland*, in lucem edit. a W. Haddan et W. Stubbs, t. II, pp. 500, 590, 610, etc.).

Cf. *Appendix to fifth report of the royal Commission on historical manuscripts*, p. 433 et seqq. de archiviis capituli Cantuariensis. Cupienti vero plura cognoscere de Simonis Islip vita et operibus, hi praecipui fontes enumerari possunt :

a. — *Codex addititius* 6112, fol. 26 (in Musaeo Britannico). Some account of Archbishop Islip and of his Register Book, in a letter to his Grace Matthew, Lord Archbishop of Canterbury, by And. Colbec Ducarel. Doctors Common. Sept 21, 1757.

b. — *Codices addititii* 6067, 6068, ubi invenitur compendium Regesti Simonis Islip.

c. — *Codex Cottonianus, Julius* J XI, fol. 248.

d. — *Regestum Simonis Islip* in Bibliotheca Palatii Archiepiscopi Cantuariensis, Londonii (Lambeth Palace).

e. — *Archiv. Capituli Cantuariensis ecclesiae*, Reg. A, fol. 15 ; B, fol. 78 et seqq. ; E, fol. 176 ; H, fol. 14, 38, 40 ; L, fol. 46, 80, 85, 88 ; O, fol. 127 ; R, fol. 19, 67.

f. — *Polychronicon* Ranulphi de Higden, t. VIII, pp. 356, 365.

g. — *Chronicon Angliae*, pp. 29, 32.

h. — *Litterae Cantuarienses* (edit. J.-B. Sheppard), t. II, passim.

i. — Thomae Walsingham *Historia*, t. II, p. 276.

j. — *Anglia Sacra*, t. II, p. 43.

k. — *Dies obituales archiepiscoporum Cantuariensium*, auctore Birchingtonio, in *Anglia Sacra*, t. II, p. 52.

l. — Rymer, t. III, part. I, II, passim.

Edwardum III inimicitia aliqua motus, an potius rei publicae studio, fueritne judicatus a coaevis is qui magis animi proprii gratis aut ingratis affectibus quam judicio ac ratione duceretur, atque ita saepius in errorem incideret.

2. INSTITUTUM HUJUS THESIS PROPONITUR

Accedentibus nobis ad hanc disceptationem, id erat consilii, ut pro nostro modulo declararemus quae continerentur illo libello, quem, ut Edwardum regem ad jura procurationum praeemptionumque attenuanda, immo penitus tollenda impelleret, Simon Islip conscripsit.

Re quidem vera, nonnullos etiam abusus in re publica gubernanda patefacit dicendo, quos passim et obiter in reprehensionem adducit, cum exempli causa haec ait: *Cogita de debitis tuis diversis et multis creditoribus tuis, cum omnibus damnis eorum*[1]. Ejus enim sermo ex multarum vexationum atque calamitatum cognitione [2] quasi efflorescit et redundat. Sed tamen, ad commentationem *Procurationum* et *Praeemptionum* opus nostrum coarctandum esse existimavimus. Nam, in hujuscemodi consuetudinibus impugnandis, scriptoris oratio praecipue versatur. Nihil enim illi potius est quam ut regem certiorem faciat de tot et tantis injuriis quae, nomine quidem, dicantur *Procurationes*, re autem sint furta. Talem esse supra commemorati libelli vim peculiarem et tenorem, unanimi consensu animadvertunt cl. viri

1. In recensione Bodleiana, §§ XI, XIV, XLI, etc.
2. *Ibid.*, § XLI.

Edwardus Coke[1], Nicholson[2], Spelmannus[3], Cangius[4], Hook[5], W. Stubbs[6]. Quorum auctoritate et judicio propositum meum, si necesse sit, jam nunc, in ipso operis principio, vel excusare vel commendare valeam.

Quibus vero potissimum praesidiis in hoc opusculo elaborando sim usus, satis, ut arbitror, et liber ipse et adjecti indices declarant.

Simonis Islip tractatus usque ad hodiernum diem e codicum latebris nondum prodiit. Habuit quidem in animo, aliquot abhinc annos, cl. et rev. vir Macray, unus e praefectis Bodleianae Bibliothecae, illum edere in illa praecipua, quae *Rolls series* inscribitur, documentorum collectione; hac vero de sententia eum postea, non sua quidem sponte, discessisse, ab ipsomet audivi.

Dignus videtur autem, ille libellus, qui non penitus in oblivione jaceat; in eo enim res alicujus momenti agitantur, quibus sane modus gubernandi Edwardi III regis melius cognoscatur, ac domesticae res Angliae, regnante illo qui Galliam Cressiaci devicit, totamque Wasconiam in ditionem regni Angliae adduxit, quasi luce uberiore perfundantur. Inde colligere licebit, quid sit judicandum de opinione cl. viri W. Stubbs dicentis[7], Edwardum III, in

1. Edw. Coke, *Commentary upon Littleton*, t. II, p. 545.
2. *The English historical Library*, part. III, p. 102.
3. Sub verbo *Prisa*.
4. Sub verbo *Prisae regiae*.
5. W.-F. Hook, *Lives of the Archbishops of Canterbury*, t. IV, p. 127.
6. W. Stubbs, *Constitutional history of England*, t. II, p. 534.
7. W. Stubbs, *Constitutional history of England*, t. II, p. 204. If the king would be careful and keep his own, and live on his own, there need be no trouble, for there need be no taxation. In this view in which, with much ignorance of political economy, there was likewise much truth, Edward III was by no means *a popular King, or the King of a contented people.*

illo quidem numero fuisse regum qui maxima cum laude, nationes externas fregerunt; minime vero, qui sibi proprii populi felicitate atque pace donati amorem conciliaverunt. Quemadmodum enim odium procerum et magnatum sibi consciverat Edwardus II, largiendo tum Petro de Gavestonia, tum Despensario, bona innumera, ita plebem a se prorsus alienavit Edwardus III, procurationibus injuste exercitis.

Praeterea, quatenus simile, aut aliquo modo dissimile fuerit idem jus in Gallia, paucissimis verbis innuere, non erit, ut mihi videtur, absonum et supervacaneum, quo scilicet ejus naturam accuratius adumbrare valeamus.

Illi enim, qui veritatem historicam sectatur, non sufficit enumerasse tantum facta, instituta, leges, sed haec eadem insuper in ordine suo disponat oportet. Minus est sane asserere talem aut talem consuetudinem viguisse, nisi simul investigatum fuerit, et in medium prolatum, quibus id rationibus evenerit. Porro, ad illud assequendum, quid magis juverit quam animadvertere quid moris temporibus iisdem apud diversas gentes iisdem in rebus viguerit?

Hac quidem historiae studendi ratione, nonnullos minus feliciter usos esse non diffitemur[1], cum ab hujus studii certis regulis et statuta norma deflecterent, quarum prima haec sane est ut nullae nisi similes inter se res comparentur. Quare non adeo probandus videtur esse doctissimus vir Gneist, a quo historia Angliae cum historia Germaniae collata est, quoniam medio aevo, harum regionum leges et instituta non tantum differant, immo vix

1. *The English historical Review* n° 18, vol. IV, april 1890. — *The Comparative history of England and France, during the middle ages*, auctore Ch.-V. Langlois, p. 259.

aliquid simile praebeant. Quamobrem, quemadmodum statuit cl. vir W. Stubbs, non e Germania, sed e Gallia erat in ea re materia collationis adducenda; nam instituta Galliae et instituta Angliae, illis praesertim temporibus, arctam inter se similitudinem ostendunt, et eam sane perfectiorem quam sive antea, sive postea prae se tulerunt.

CAPUT II

DE MANUSCRIPTIS

1. *De diversis recensionibus Tractatus a Simone Islip conscripti.*

Tractatus a Simone Islip conscripti duae recensiones asservantur, de re quidem prorsus eadem, iisdem de causis editae, sed diversis temporibus, modo etiam diverso compositae, quarum utraque pluries manu scripta est[1].

Sub duplici forma ea, *Speculum Regis*[2] praesto nobis exstat in decem[3] codicibus transcriptum, quorum postquam eos ipse inter se comparavi, hic elenchum subjicio.

1. *Codex Cottonianus* Faustina B I (saeculo xiv°), fol. 184^a — 191^a, (in Musaeo Britannico).
2. — — Cleopatra D IX (saeculo xiv°), fol. 87^a—112^a, (in Musaeo Britannico).

1. Nostris etiam temporibus, ait W. Hook, saepe nuntiatum est publice, fore ut « *Speculi Regis* » codices auctione constituta venderentur. *Op. cit.*, p. 136 (nota).

Codex autem aut codices, quos « manu propria » auctor ipse conscripsit, non exstant, aut nusquam saltem inventi sunt.

2. Libellus Simonis Islip varie in variis codicibus inscribitur, cf. infra.

3. Adde quemdam codicem notatum in opere cui titulus : *Catalogi librorum manuscriptorum Angliae et Hiberniae in unum Collecti, cum indice alphabetico.* (Oxoniae, e theatro Sheldoniano, An. Dom. MDCXCVII), p. 235, ex libris Roberti Burscough.

3. — *Vetus Regius* 10, B XI (saeculo xv°), totus codex (in Musaeo Britannico).
4. — *Addititius* 15673, (saeculo xv°), totus codex, constat 29 foliis, (in Musaeo Britannico).
5. — *Harleianus* 2399, (saeculo xvi°), totus codex.
6. — — 6237 (saeculo xviii°), in Musaeo Britannico, fol. 7—18.
7. — *Digbiensis* 172, (saeculo xiv°), membranaceus, in majori sua parte bipartitis paginis exaratus, fol. 134ª—141ª. Oxonii in Bibliotheca Bodleiana.
8. — *Bodleianus* 624, (saeculo xiv°), pergamenus (totus codex). Oxonii, in Bibliotheca Bodleiana.
9. — *Rawlinsonianus* C 606, (saeculo xiv°), membranaceus, constat 30 foliis. Oxonii, in Bibliotheca Bodleiana.
10. — *Cantabrigiensis* K k, IV, 4 (saeculo xv°), fol. 49—54. Cantabrigiae, in Bibliotheca Universitatis.

Qua vero ratione se habeant inter se, si ordo transcriptionis attendatur, hi decem codices manuscripti, quantum in nobis erit enodabimus.

Recensionis unius, quam nobis liceat designare littera A, typum quasi exhibet codex Digbiensis, in quo tractatus sic inscribitur: *Admonitio ad Regem Edwardum III, sive Speculum Regis*. Ex hoc codice quatuor alii derivati esse nobis videntur: *Faustina, Cleopatra, Vetus Regius, Cantabrigiensis*.

Textus codicis Cantabrigiensis, cujus titulus est : *Speculum Edwardi Regis, per Simonem Islip*, presso vestigio sequitur Digbiensem, et multo minus quam Faustina et Cleopatra ab eo discrepat. Aberrantium enim lectionum quas praebet praecipuae ad haec revocari possunt. In ipso principio tractatus, omittitur haec amplior

commemoratio variarum partium justitiae munerum, ab illis verbis : *Et secundum hoc primum*, ad haec alia : *Justus enim ut sis*[1].

E contrario, § 10, Cantabrigiensis addidit post verba : *Quondam in Anglia gubernantibus regnum istud,* aliquam sententiam[2], quae non reperitur alibi nec in codice Digbiensi, nec in ullo alio codice. Postremo, omissum est in Cantabrigiensi illud, quod ex Aristotele traditum est consilium de reverentia qua accipiendae sunt seniorum monitiones[3].

Codex Cottonianus, *Faustina* B I, haud ita diu post Digbiensem, transcriptum textum praebet; nam uterque pertinet ad extremam partem saeculi xiv. Tractatus epigramma sic se habet : *Exhortacio ad Regem Edwardum III de officio Regis, de malis emendandis, et de populo bene regendo, per Simonem Islip archiepiscopum Cantuariensem.*

Attamen, si Faustina tempore propius accedit ad Digbiensem quam Cantabrigiensis, longius tamen discedit, si transcriptio ipsa attendatur. Etenim multo plures varietates lectionum colliges, multo plura sublata etiam sunt, praesertim verba Scripturae sacrae, et loci communes[4].

Tandum animadvertendum venit librarium qui codicem Faustinam scripsit partitum esse *Speculum Regis* in capitula, quod nec in Digbiensi, nec in Cleopatra, nec in Vetere Regio, factum est.

1. A § 1.
2. A § 10.
3. A § 47.
4. Haec omissa invenies praecipue § 3, circa medium, § 5, § 47 ; adduntur autem aliqua § 44.

Cleopatra praebet opus Simoni cum hoc titulo : *Speculum Regis Edwardus III, sive tractatus de gubernatione regni secundum justiciam per Simonem Islip archiepiscopum Cantuariensem.* Qui hunc textum curavit prae oculis habuisse videtur et Digbiensem et Faustinam. Digbiensem procul dubio secutus est, mutatis tamen non paucis lectionibus, quae quidem mutationes verba magis afficiunt quam sententias. Faustinam etiam fortasse cognovit, nam multi loci quos in Faustina deesse animadvertimus, iidem a textu Cleopatrae exulant, quod fortuito contigisse, aegre, ni fallor, persuadebitur. Praeterea, quaedam in Cleopatra tantum non inveniuntur[1]. Insuper, § 25[2], ubi describuntur vexationes et rapinae quas perpetrabant « *Garciones pro magnis equis* », textus Faustinae prorsus cum Digbiensi consonat, discrepat autem Cleopatra.

Vetus Regius non proxime a Digbiensi codice derivatur ; sed, ut videtur, nihil est aliud nisi nova Cleopatrae transcriptio. Quod quidem haud dubiis, immo quibusdam omnino manifestis indiciis, colligitur. Etenim :

a) In codice Digbiensi § 2, haec leguntur :...*quod habes cotidie (Deus) multiplicat per quod instrui debes*... Jam vero, Cleopatrae librarius in hac sententia signum quoddam inter verba *per* et *quod* inseruit, neque scripsit : *instrui debes,* sed : *per debes dare.* Praeterea in margine haec adnotata sunt : *aliquid videtur deesse.* Atqui haec omnia, signum omissionis et nota marginalis etiam apparent in Vetere Regio.

1. A § 13, § 14, circa finem.
2. A § 25.

b) In Digbiensi § 3, circa finem, affertur iste Sancti Gregorii locus : « *Amor erga proximum plus operatur bonum quam lingua.* » In Cleopatra, haec ita sunt transcripta : ...*plus operatur bonum opus quam lig^a^*. Sed inter lineas desuper scripsit librarius : « *Quid sit non intelligo, ex impresso Gregorio intelligi potest.* » Iterum haec singula tradit codex Vetus Regius, insolutam lectionem *lig^a^*, et notam inter lineas positam.

c) Digbiensis § 6, Sancti Augustini testimonium adducit[1]. Locum eumdem refert Cleopatra, hac tamen apposita nota in margine : *hic locus Augustini non citatur integre*. Porro, in Vetere Regio prorsus eadem inserta est animadversio.

d) Postremo, apud Digbiensem § 11, habentur haec : ...*non sunt de familia licet videantur et dicantur de familia tua*. Si in Cleopatra non desunt haec verba, ita tamen sunt exscripta ut ea pars quae incipit : *licet videantur*, ponatur in margine. Vetus Regius, ea omnino profert sicut habentur in Cleopatra. Quae omnia sane ejus sunt generis, quae non inventorem prodant, sed merum operarium, illiteratum illum quidem et ineptum. Quapropter, Veterem Regium ex Cleopatra esse exaratum vix dubitare licet.

Eorum quae disputavimus hucusque haec summatim conflata sit conclusio : primigenius textus recensionis A invenitur in Digbiensi, ad quem accedit Cantabrigiensis; ab eodem aberrant paulo plus cum Faustina, tum Cleopatra, ex quo quidem ultimo codice exscriptus est Vetus Regius.

1. A § 6.

Alteram recensionem B referunt etiam quinque codices.

Codex Bodleianus, exaratus fortasse, saltem ut opinatur cl. vir Hook[1], Islip etiam tum vivente, textum primigenium exhibet. Hunc quidem textum adhibuit cl. vir W. Stubbs, in scribenda sua « *Historia Constitutionis Angliae*[2]. »

Eodem fere tempore, nempe saeculo XIV ad finem vergente, prodiit transcriptio quae in codice Rawlinsoniano invenitur. In folio insiticio, ad calcem, legitur nomen Roberti Sondes. In prima pagina depicta sunt arma nobilis familiae ducum Buckinghamii et comitum Staffordensium. Ad calcem codicis, f° 29, subjectum est consilium Ludovici IX, regis Franciae ad filium suum Philippum, scriptum anno 1270, cum in extremis langueret. In isto codice, tractatui nostro hic titulus praefertur : *Speculum regis, sive Admonicio ad Regem Edwardum III, de mala regni administratione, auctore Simone Islip, archiepiscopo Cantuariense.*

Quid sentiendum de connexione hujus codicis cum Bodleiano ? Multae sunt dissimiles lectiones, non illae tamen tanti momenti, quae eum ad aliam codicum familiam referri jubeant. Maxima quidem discrepantia est in principio libelli. Codex Rawlinsonianus praemittit prologum, qui sic incipit : *O Domine mi Rex, circa salutem*[3]... Prologus ille deest in Bodleiano et in Harleiano 2399 ; adest vero in aliis supra citatis hujus recensionis B codicibus ; hi igitur transcripti sunt ex codice Rawlinsoniano.

1. W. Hook, *op. cit.*, p. 130.
2. W. Stubbs, *Constitutional history of England*, t. II, pp. 204, 534, 535, etc.
3. B § 1.

Inter illos, tempore prior est codex additītius, in quo titulus nostri documenti sic sonat : *Speculum Regis Edwardi III, per Symonem Yslep Arch. Cantuariensem.*

Posterior, longo quidem intervallo, est Harleianus 6237, confectus anno 1728. Ipse vero exscriptus est ex alio codice, ut apparet ex ejus titulo, qui sic se habet : « *Speculum regis Edwardi III, per Simonem Islep* « *Archiepiscopum Cantuariensem transcriptum ex co-* « *dice olim Willelmi Warham Archiepiscopi Cantua-* « *riensis, postea Edwardi Coke, militis, capitalis Justi-* « *ciarii de Banco Regio, nunc penes Th. Coke, militem* « *de Balneo.* »

Restat indicandum quomodo se habeat codex Harleianus 2399 ad textum primigenium codicis Bodleiani. In illo, hoc est operis epigramma : *Speculum Regis Edwardi III compilatum per Simonem Yslep Cantuariensem Archiepiscopum, quorum animabus propitietur Deus. Amen.*

Propius ad Bodleianum ille textus accedit quam alii de quibus modo egimus. Etenim, in ipso praemissum prologum non invenimus, qui est in principio codicis Rawlinsoniani et duorum aliorum ab illo procedentium. Itaque, non nisi a capite III medio, concordant numeri capitum in Bodleiano et Harleiano 2399 cum numeris aliorum codicum hujus posterioris recensionis, quia duo dicti codices capitis IV initium faciunt a verbis : *Domine mi rex, ex quo...* (§ VI.)

Quaecumque statuimus in praecedentibus, sequenti schemate quasi uno intuitu describi possunt ; numeris non tempus, sed gradum majoris similitudinis significantibus.

RECENSIO A

1. Digbiensis 172

2. Cantabrigiensis K. k. IV, 4. | 3. Cleopatra D, IX | 4. Faustina B, I

5. Vetus Regius 10 B, XI

RECENSIO B

1. Bodleianus 624

2. Harleianus 2399 | 3. Rawlinsonianus C, 606

4. Addititius 15677 | 5. Harleianus 6237

2. *Utra recensio sit prior.*

In recensione A (codice nempe Digbiensi), postquam paucis verbis exposuit scriptor quid sit justitia, statim intentam rem aggreditur, et quae facto reprehendenda existimat ea clare, distincte, ample, enumerat, ut qui bene perspectum esse regi cupiat, qua de re praecipue agere velit.

In recensione autem B (codice Bodleiano), longiore sermone utitur, ad convertendum regis animum in rem de qua agitur, Edwardum iterum atque iterum exhortatur ut aurem correctoribus emendatoribusque praebeat, locos communes amplius evolvit, tum Scripturam sacram proferendo, tum orando, tum disputando, tum minas adhibendo, tum indignando. Nonne inde primum exsurgit

argumentum quo ostenditur libellus A alteri praecessisse? Ex eo scilicet, quod in ipso res alacriore vita, quasi novae, exponuntur, contra in libello B plus operae laborisque consumitur, ut « *hanc ammonicionem salu-* « *tiferam, non in transitu, immo cum studio et dili-* « *gentia rex consideret*[1]. » Sed ut admittamus libellum A priorem esse libello B, non mediocriter suadent duo loci libelli B.

Postquam enim incitavit Edwardum scriptor ad hoc ut errores curiae corrigeret, ipsum invitat ut legat *quinam sint illi errores in quadam summa modica que sic incipit:* DOMINE MI REX[2]. Porro, hoc est ipsum initium libelli A. Nempe, auctor ipse cum his verbis ad aliud quoddam opus suum remittit, satis, ut videtur, innuit libellum A priorem esse libello B.

Non tamen ignoramus objici posse haec ipsa verba etiam legi initio libelli B. At vero, non ideo rejicienda nostra ratiocinatio. Etenim, si in suprascriptis verbis auctor de libello B egisset, non dixisset, ut saltem verisimile videtur: *vide in quadam summa,* sed: lege, vide in hac summa.

Ceterum, cuivis legenti in eodem libello B finem § V, vix ulla supererit dubitatio. Ibi enim haec leguntur: « *Multe sunt alie cause de quibus tractatur in modica* « *summa que sic incipit:* DOMINE MI REX EX QUO[3]... »

Jamvero, haec verba clare libellum A indicant. Nam, etsi libellus uterque sic incipit: *Domine mi rex,* solus tamen libellus A sequentes voces exhibet: EX QUO...

1. B § II.
2. B § I, ultima verba.
3. B § V, ultima verba.

Quare, cum in duabus sententiis, quas modo retulimus, vere de libello A agatur, hunc certo constat priorem esse libello B.

3. *Quo tempore uterque libellus sit compositus.*

Cum in nullo ex decem *Speculi Regis* codicibus inscriptum invenerimus quo anno sive recensio A, sive recensio B conscripta esset, necesse fuit nobis ea de re aliqua indicia ex ipso opere indagare, ut exinde propositae questionis solutio deduceretur.

Recensionem A conditam esse circa annum 1337, id est duodecim annis, antequam archiepiscopus eligeretur Simon, opinati sunt illi qui librorum elenchum dictum « *Class catalogue* » in Musaeo Britannico consulendum confecerunt. Quorum sententiam, inspecto opusculo, amplectendam rati sumus.

Ratio praecipua haec nos movit, quod, anno 1337, melius quam ullo alio tempore, intelligi videtur qua de causa Simon *Speculum Regis* condiderit ad jura procurationum impugnanda. Nam etiamsi, saepius animadverterat antea, multas in regno Angliae peragi vexationes, nondum erat tamen ea dignitate insignitus, neque ea auctoritate pollebat ut suam regi sententiam libere detegeret, nec enim is erat qui aliud nisi « *privatus homo* ».

Anno autem 1337, non tantum electus est episcopi Lincolniensis vicarius generalis[1], sed praeterea, cum a

1. Newcourt, *Repertorium anglicanum*, t. I, p. 178. Episcopus Lincolniensis id temporis erat Henricus Burghersh.

rege Lincolniensis episcopus legationis causa missus esset in « partes » Brabantiae[1], ejus loco, novus vicarius ad magnum Parliamenti Concilium venire jussus est. Quod luculenter testantur litterae cum hac inscriptione datae : « *Henrico episcopo, vel ejus vicario generali, ipso episcopo in remotis agente*[2] ».

Ex quibus cum pateat, ab anno 1337 Simonem Islip suscepisse, pro sua parte, aliquam rei publicae administrandae curam, ac propterea ille in iis sane adjunctis versatus sit in quibus quid de modo agendi regis ipsius et ejus ministrorum sentiret, quid in posterum esse faciendum existimaret, publice declarare valeret, tempus igitur illud erat faustissimum lacessendi procurationum jura, tot malorum quasi radicem. Ut paucis omnia dicam, tum, si unquam, nata erat opportunitas *Speculi Regis* conficiendi.

At, si vel ex externis adjunctis insinuatur anno 1337 conscriptum esse libellum Simonis, idem persuasum magis erit, si opus ipsum adiverimus. Nam in recensione A scriptor, ut Edwardum impellat qui se gratum exhibeat in Deum, commemorat eum a Deo eductum esse « *de terra Egypti, de domo servitutis*[3] ». Quid sibi volunt talia verba? De quanam terra Aegypti, aut de quanam servitute loquitur? Rem claram reddit addendo[4] « *de custodia matris tue.....* » scilicet Isabellae.

Edwardi enim mater filium suum, non tantum

1. Rymer, t. II, part. II, p. 967, p. 974 — Barnes, *History of Edward III*, lib. I, ch. X, p. 109. — *Gesta Edwardi III. Rolls Series*, t. II, pp. 127, 133. — Adami Murimutensis *Chronicon*, edit. a M. Thompson, p. 80.

2. *Report on the dignity of a Peer*, t. IV, app. I.

3. A § 14.

4. A § 46, ultima verba.

in tutela et cura materna, quantum sub virorum omni generi ambitionis deditorum imperio detinuerat. Horum igitur laqueorum dissolutionem, quam non ita pridem contigisse significat, procul dubio commemorat scriptor. Imprimis, Rogerus de Mortuo Mari, et Isabella, superba vanaque mulier, imperio et potestate prorsus potiti, his ita per tres annos usi, aut potius abusi sunt[1], ut omnibus quicumque vellent aliquid regi ad utilitatem regni proponere obstarent[2].

Quando autem primum habuit filium Edwardus, nimirum anno 1330, die decimo quinto Junii[3], tunc secum quasi statuere visus est vincula omnia omnemque servitutem disrumpere. Quo in consilio perficiendo, a Willelmo de Monte Acuto maxime adjutus est. Quid evenerit nocte illa, inter diem Veneris 19um et diem Sabbati 20um octobris; quomodo, qua audacia, in castello apud Nottingham captus sit Rogerus de Mortuo Mari, non est hic locus plenius enarrandi[4]. Sufficit quidem annum quo haec evenerunt in medium protulisse, ut circa quodnam tempus scribi potuerit « *Speculum* », melius saltem innuatur.

Ostendit enim scriptor haec facta recentiora prorsus

1. Th. Walsingham, *Hist. Angl.*, t. I, p. 192. ...Illis enim diebus Rogerus de Mortuo Mari, thesaurum regni congregavit, potestatem regiam usurpavit, Regem, ut videbatur, suppeditavit...

2. Id., *ibid.* Comes Lancastriae Henricus, in coronatione regis, per procerum consensum regis custos deputatus (fuerat)..... Re ita quod (idem comes) regi appropiare, consulere, nec custodire valens...

3. *Chronicon Angliae*, p. 2. — Th. Walsingham, *Ypodigma Neustriae*, p. 270 ; *Hist. Angl.*, p. 193.

4. Stow, *Annales of England*, p. 230. — Walterus de Hemingburgh, *Chronicon*, t. I, p. 302. — Th. Walsingham, *Ypodigma Neustriae*, p. 270. — Ejusd. *Hist. Angl.*, t. I, p. 193. — *Chronicon Angliae*, loc. cit. — W. Stubbs, *op. cit.*, t. II, p. 373.

esse. Immo, de morte Rogeri de Mortuo Mari, capitis damnati, loquitur tanquam de re nuper acta: *Nunc etiam ultimo, iste magnus dominus Roger le Mortimer captus et interfectus est*[1]... » Porro, Rogerus de Mortuo Mari, prope Londinum, in loco dicto Smithfield, suspensus est anno 1330[2]; hinc igitur colligere licet non ita multis annis post 1330 conditum fuisse Simonis libellum.

Praeterea in eadem recensione A de filio Edwardi regis loquitur ut de parvulo puero, nondum, ut opinari licet, sex aut septem annos nato. Asserit enim illum adeo esse tenerum annis, ut non tantum nullo modo sit juste reprehendendus propter furta quae committant ejus ministri « *in partibus de Windesore*[3]..., verum etiam, ut nec perspicere neque intelligere haec ullo pacto valeat. Non tantum illum profitetur innoxium, « *Quamvis*, ut ait, *adhuc sit innocens*[4], sed praeterea haec habet: « *non* « *excusat filium* IGNORANCIA *quin post mortem patris cogatur reddere male adquisita*[5]... »

Haec autem ut vera sint, non multo provectior aetate quam sexennis aut septennis oportet fuerit filius Edwardi. Quis enim recte judicans credat posse dici, puerum decem annos natum, quid in sua domo a suis ministris agatur penitus nec videre nec intelligere? Hinc etiam, non temere, ut videtur, defendi potest, opusculum ex quo deprompti sunt duo loci supra citati, non multo post annum 1337 compositum esse.

1. A § 44.
2. *Chronicon Angliae*, loc. cit. — Thomae Walsingham *Historia Anglicana*, t. I, p. 193.
3. A § 17.
4. A § 18.
5. A § 19.

Altera est causa, cur circa annum 1337, existimemus *Speculum* conscriptum esse a Simone. Namque illo eodem anno, cum intelligeret Edwardus Gallos inter et Anglos bellum imminere, ac posse praeterea fieri ut Scoti simul et Galli in Angliam invaderent, nihil antiquius habuit quam ut omnem belli apparatum sibi procuraret, pecuniam nimirum omni ratione conquirendo. « Rex, ait Adamus Murimutensis, in singulis ecclesiis cathedralibus fecit capi totam pecuniam collectam et repositam in subsidio Terrae Sanctae [1]. » Eodem tempore, monasteria et ea non quidem pauca, rebus et vasis magni pretii exspoliata esse refert Henricus Knyghton [2]. Hoc igitur altero indicio adducimur, ut libellum A circa annum 1337, hoc ipsomet fortasse anno, perfectum esse opinemur.

Libellum B censet vir cl. W. Stubbs, anno 1349, compositum [3]; quam sententiam aegre nostram facere possumus. Hoc enim, anno 1349, duo sunt notanda inter se diversa, sed ejusdem momenti, quae utraque pertinent ad hanc quaestionem. Nam, ex una parte, archiepiscopus Cantuariensis jam tunc erat Simon Islip; ex altera, jam Angliam invaserat et multos corripuerat « pestis nigra [4] ».

1. Adami Murimutensis *Continuatio chronicorum*, p. 78.
2. *Chronicon Angliae*, p. 6.— Th. Walsingham, *Ypodigma*, p. 276. Hoc anno (1337) propter instantem guerram, rex Angliae confiscari fecit bona Longobardorum et monachorum Cluniacensium atque Cisterciensium per totum regnum... Ad haec forsan alludit Simon, A § 4, § 13.
3. W. Stubbs, *Constitutional history of England*, t. II, p. 535.
4. Roberti de Avesbury, *Chronicon*, p. 406. — *Chronicon a monacho S. Albani*, p. 27. Tunc villae, olim hominibus refertissimae, suis destitutae sunt colonis ; et adeo crebra pestis invaluit, ut vix vivi potuerint mortuos sepelire.

Cum his autem factis, nonne pugnare existimanda est opinio supra laudati rev. W. Stubbs. ? In hoc enim opusculo, non dicit auctor se archiepiscopum, primatem totius Angliae esse. Quem suum titulum, si re vera Cantuariensem sedem tunc occupavisset, regi alta et clara voce conclamavisset, quo majus pondus suis verbis, majorem vim suis querelis adderet.

Infelicitatem et egestatem Anglici populi passim depingit, de peste nigra, ne unum quidem verbum profert. Si autem pestis eo tempore grassata esset, illius attingendae et describendae occasionem non omisisset, quam sane ut signum divinae irae, ad deterrendum regem a perpetrandis injuriis, depinxisset.

Quae cum ita sint, nostro quidem judicio, libellus B non post annum 1347 scriptus est. Illud etiam videtur constare ex eo quod auctor ipse indicat quodam loco. Etenim refert, antequam suum scriberet opusculum elapsos esse quadraginta annos[1] a tempore quo regnaret Edwardus I. Porro, Edwardus I anno 1307 mortuus est; non igitur post illum annum 1347 *Speculum Regis* scripsit Simon. Quamquam ille numerus quadraginta annorum hic non omnino determinatam seriem annorum significare forsitan videatur, uti mos erat saepius medii aevi scriptoribus, tamen, ni fallimur, opinio nostra stat. Quoniam, ex aliis indiciis recte colligi potest circa annum 1345 compositum fuisse « *Speculum Regis* ». Nam hoc in libello B, ostendit scriptor regem Edwardum III aere alieno, cum suo tum patris nomine conflato, gravatum[2]. Et aliunde quidem novimus

1. B § IX, § LII.
2. B § II, circa finem.

circa annum 1345, ita parum curavisse Edwardum patris et sua debita persolvenda, ut creditores suos funditus pecunia exspoliatos dereliquerit[1].

Januario mense anni 1345, « gens Bardorum » a qua mutuatus erat Rex nongenta millia florenorum aureorum, societas Peruzzorum cui sexcenta millia florenorum debebat et nonnullae aliae societates Bonnaccursorum, Corsinorum, Antelessorum, propter Edwardi negligentiam et inopiam, cum pecuniam sibi debitam non reciperent, ingenti quidem aere alieno oppressae fuerunt, quo liberari jam nullo modo valuerunt.

Id nos iterum inducit ut recensionem B, circa annum 1344 aut 1345 compositam esse statuamus.

Alio quodam argumento haec opinio confirmari videtur, et illo quidem ex ipsis verbis ejusdem recensionis B deprompto. Regem enim indignatur auctor multos nimis equos emere exquisitos, nimis ludos instituere[2], omni denique sumptus generi nimium indulgere. Atqui certiores facti sumus aliunde, plures, praesertim circa annum 1344, et annum 1345, quam aliis temporibus regni, indictos esse ab Edwardo conventus solemnes ad « hastiludia exercenda ». Haec profecto a scriptoribus historiarum affatim referuntur[3].

1. W. Stubbs, *op. cit.*, p. 397. W. Cunningham, *The growth of English industry*, p. 379. ...the Frescobaldi, Bardi, and Peruzzi, with whom Edward III had such large transactions. *Rot. Parl.*, t. II, 240.

2. B §§ XIV, XV.

3. Adami Murimutensis *Chronicon*, p. 155 : Anno 1344, rex se dedit multis venationibus... et aliis solatiis usque post festum S. Michaelis. ...Ordinavit rex habere nobilissima hastiludia, sive tirocinium in loco nativitatis suae, videlicet in castro de Wyndesore. — Nero. D. X., fol. 132, cit. apud Adamum Murimutensem.

LIBER II.

CAPUT I.

NATURA JURIUM PROCURATIONUM ET PRAEEMPTIONUM.

Jura procurationum et praeemptionum pars quaedam erant jurium illorum, quibus in Anglia, saeculo XIV, constabat « regium praerogativum[1] ». Diuturna consuetudine, ex pacto et conventu, hujusmodi jura firmabantur. Ceterum, rerum natura satis ferre videbatur ut potestas publica ex publicis possessionibus res ad sumptus suos necessarias hauriret.

Igitur, reges, utpote principales domini[2], publica impensa vivebant, et cum iter faciebant jure procurationum fruebantur, jure scilicet divertendi in domos vassallorum et in eis hospitandi, vel censum aliquem ob eam causam percipiendi. Inter autem alia quae ad regis itinera sublevanda pertinebant, annumerari possunt : firma[3], gistum

1. Stubbs, *op. cit.*, t. II, p. 535. — W. Cunningham, *The growth of English industry and commerce*, p. 143. — James Thorold Rogers, *A history of agriculture and prices in England*, t. I, p. 67. — Stephen Dowell, *A history of taxation and taxes in England*, t. I, p. 17. — Hallam, *Europe during the middle ages*, t. III, p. 220.

2. W. Stubbs, *op. cit.*, t. I, p. 338.

3. Scriptoribus anglicis, voce *firma* significatur aliquando : Convivium, coena, omnis denique mensae apparatus.

canum et venatorum, equorum pabula. Ut emolumentum ex his juribus reges perciperent, plerumque necesse erat illud irent quaesitum. Aliquando tamen, illo jure fruebantur, etiam cum ad loca ipsa se non conferebant [1].

Providebatur autem ne hujusmodi vectigalia vassallis imposita evaderent gravissimum onus, itaque statutum et fixum erat quoties, singulis annis, regi liceret singula tributa percipere [2].

Decursu vero temporis, ut semper victualia regi suppeditarentur, ne unquam optimas merces alii eriperent ante adventum procuratorum, aut eis mercimonium venditores tradere recusarent, mos invaluit instituendi nundinas juxta regiam domum ubicumque rex commorabatur, edictumque est, ut prae quibusvis aliis, procuratores regii, pro suo lubitu, etiam invitis mercatoribus, res eligerent atque caperent, et pro eis inferius pretium solverent [3].

Interdum etiam, quasi tantum invisendi causa, monasteria non immunia, reges capessebant [4]. Malebant autem haec monasteria regi pecuniam erogare, quam eum hospitio

1. Ita se res habebat, ut aliquod exemplum afferam, Yarmuti, in comitatu Norfolciae. Hujus urbis incolae, centum harengos vicecomiti Nordowicensi tradebant, ut ipse vicecomes, hos harengos, mediante domino castelli Carltonii, ad regem transmittendos curaret. *Archaeologia*, t. VIII, p. 330.

2. Quidam Willelmus, filius Willelmi de Alesbury, possessiones, quibus in loco dicto Alesbury fruebatur, ea conditione servabat, ut regi hunc locum invisenti daret, hiemis tempore, tres anguillas ; tempore vero aestatis, duos anseres. At regi, nonnisi ter in anno, facultas erat praedium illud adeundi. *Archaeologia*, loc. cit.

3. Stubbs, *op. cit.*, t. II, p. 535.

4. Ita scilicet, monasterium Sancti Albani, juxta quod parvus lacus erat, piscibus mirifice refertus, frequentes petebant : ita ut omni ratione, quantum in eis fuit, abbates et monachi conarentur regem, onerosum sane hospitem, a se arcere. *Archaeologia*, t. VIII, p. 334.

excipere. Etenim, ad talem dominum, honoris causa, liberaliter ac magnifice tractandum, ita ingens erat impensa, ut aegre tolerari posset; praeterea regum amici, minisque complures, omnia, summa cum audacia, saepius diripiebant.

Praeterea, rex a subjectis exigebat omnia quae ad res publicas curandas, componendas, tuendas et amplificandas necessaria fore arbitrabatur[1]. Hinc frumentum, hordeum, avenam, arbores, aucas, gallinas, porcos, boves, equos, requirebat; quibus nempe omnibus constabant jura *captionum, emptionum*. Verum cum *res venales* auctoritate regia caperentur, melius illud vocabatur *jus prisarum*[2].

Inter autem varias prisas, quanti momenti fuerint *prisae vinorum* operae pretium est animadvertere[3]. Antiquissima profecto consuetudine statutum erat atque sancitum, ut in singulis navibus vino onustis, quae ad Angliae littus appulissent, de viginti doliis, duo dolia, unum e puppi, alterum e prora, de decem autem doliis, unum dolium reges sibi sumerent, ét pro unoquoque, viginti tantum sterlingos solverent.

Haec omnia, ut brevissime dici potuerunt ita a me dicta sunt, ut jam omnibus perspicuum sit quot vexationes, direptiones et alia incommoda ex hujusmodi juribus, vel saltem propter illa et eorum occasione manarent; ita ut fuerint aliquid simile arbori pessimae, cujus non tantum ramos putari oporteat, sed etiam radices penitus evelli.

1. Stubbs, *op. cit.*, I, p. 380. — Cunningham, *op. cit.*, p. 144.
2. Cunningham, *loc. cit.*
3. Madox, *Historia Scaccarii*, t. I, p. 765 et seqq. — E. Coke, *Institutes*, part. II, p. 544. — W. Cunningham, *op. cit.*, p. 145.

At reges arborem servabant, et accuratissime colebant, nedum ejus radices securi percuterent.

Procurationes enim et praeemptiones, tempore regum Saxonum et Danorum jampridem vigebant [1]; itaque eas Willelmus Conquestor non instituit quidem, sed instauravit et firmatas posteris tradidit [2]. Quorum autem singulorum modus utendi hisce omnibus juribus qualis fuerit, minus sane ad hoc tempus. Illud autem est hujus institutae scriptionis ac temporis, res aliquas majoris momenti in memoriam revocare, quo plenius intelligatur quomodo Anglicus populus magis ac magis procurationum vexationibus oppressus in summam indignationem venerit, et ita libellus Simonis Islip in meliore luce collocetur.

1. John Speed, *The history of Great Britain under the conquests of the Romans, Saxons, Danes, and Normands*, p. 381. — *Archaeologia*, t. VIII, p. 333. — F. Philips, *op. cit.*, pp. 46-50.
2. *Archaeologia*, t. VIII, p. 334.

CAPUT II.

HISTORIA JURIUM PROCURATIONUM ET PRAEEMPTIONUM, ANTE REGEM EDWARDUM III.

Etsi Willelmus Conquestor, sancti Edwardi leges, aut neglectas in pristinum splendorem vindicatum iri pollicitus est, aut etiam tum florentes servari jussit[1], tamen non potuit se continere quin bona vassallorum diriperet; « erat enim cupidus, et ad castella solus omnes fatigabat « construenda[2]. » Immo concitatus habendi cupiditate « omnia Anglorum monasteria auro spolians et argento, « insatiabiliter apporiavit, et ad majora sanctae Ecclesiae « opprobria, calicibus et feretris non pepercit[3]. »

Regis exempla cum imitarentur libentissime, pro suo modulo, proceres regni « pullulaverunt in Anglia thelonea « iniqua et consuetudines pessimae; et quanto magis « principes loquebantur de recto et justitia, tanto major « fiebat injuria[4]. »

Cum autem extorsiones nomine procurationum commissae, magis ac magis, regnante Willelmo Rufo, invaluissent[5], Henricus, mox ut regno potitus est, operam

1. *Antiquae leges Angliae*, p. 201. — Stubbs, *op. cit.*, t. I, p. 289.
2. Radulphi de Diceto, *Abbreviationes Chronicorum*, t. I, p. 212.
3. Matth. Parisiensis, *Chronica major*, t. II, p. 6.
4. *Id.*, t. II, p. 20.
5. Matth. Parisiensis, *Chronica major*, t. II, p. 114 : Willelmo (Rufo) regnante, subjectos omnes continuis geldis, tallagiis vexabat ; vicinos,

navavit ut hujusmodi mala sanaret, aut saltem allevaret; et ita se gratum Anglis efficeret. Etenim eorum auxilio et gratia id temporis valde ille quidem indigebat, ad repellendum Robertum, ducem Normanniae, majorem natu fratrem, qui summis conatibus viam ad regiam potestatem sibi munire satagebat [1]. Proposito igitur sancti Edwardi regis exemplo, decrevit ut ne jam amplius pecudes, ova, gallinas, fruges, persolverent bordarii, quamvis a temporibus usque Willelmi Conquestoris hic mos floruisset, sed horum loco parvam pecuniae summam in posterum tribuerent. Itaque, dextram fidemque dabat Henricus se, pro virili parte, impediturum esse, quominus ministri sui nomine procurationum et praeemptionum res alienas, invitis possessoribus, caperent [2].

Sed rerum et verborum mira discrepantia ! Quod si enim vexationes et injurias, bona fide, cohibendas esse decrevit, quod si « rapinas curialium, furta... » edicto « compescuit [3], quod si parvarum quoque rerum non negli- « gens, curialibus suis ubicumque villarum esset, quan- « tum a rusticis gratis accipere, quantum et quoto pretio « emere debitum erat, edixit... transgressores vel gravi « pecuniarum mulcta, vel vitae dispendio afficiens... [4] » tamen saepenumero stare promissis minime potuit. In quo sane confitendo, plerique scriptores coaevi conve-

verris et exactionibus assiduis provocabat, nec respirare poterat Anglia, sub ipso mirabiliter suffocata. Ipse namque, et qui ei famulabantur, *omnia rapiebant, omnia conterebant et subvertebant.*

1. Willelmi Malmesbiriensis, *Gesta regum Anglorum,* t. II, p. 471. — Matth. Parisiensis, *op. cit.*, t. II, p. 122.

2. Matth. Parisiensis, *op. cit.*, t. II, pp. 115, 116.

3. Willelmi Malmesbiriensis, *Gesta regum Anglorum,* t. II, p. 476.

4. Id., t. II, p. 487.

niunt. « Non facile potest narrari, inquit Florentius Wi-« gornensis, miseria quam sustinuit isto tempore, (circa « annum 1104) terra Anglorum propter exactiones « regias[1]. »

Multi nempe, qui regem Henricum iter facientem, sive ut ejus ministri, sive ut amici comitabantur, quando per aliquam villam transibant, non poterant se continere quin omnia inde pessimis cum injuriis diriperent. Dum autem reperta in hospitiis, quae invadebant, penitus absumere non valebant, ea aut ad forum, per eosdem ipsos quorum res erant, pro suo lucro ferre ac vendere, aut supposito igne cremare, aut si potus esset, lotis exinde equorum suorum pedibus, residuum illius per terram effundere, aut aliquo alio modo disperdere solebant[2]. Quae cum ita essent, nova quaedam consuetudo notatu sane dignissima, paulatim serpere coepit, quam luculenter exponit Ricardus, Londoniensis episcopus, in Dialogo de Scaccario[3].

Nimirum, in primitivo regni statu post conquisitionem regibus, de fundis suis, non auri vel argenti pondera, sed sola victualia solvebantur, ex quibus in usus quotidianos

1. Florentii Wigornensis monachi *Chronicon ex chronicis*, t. II, p. 53. — Cui consentit Eadmerus, *Historia novorum*, lib. IV, p. 171. . .In pecuniae collectione, nullus in collectoribus pietatis aut misericordiae respectus fuit, sed crudelis et immanis exactio super omnes, ut nobis qui inde veniebant testabantur, desaevit... Videres, sicut aiebant, eos qui quidem non habebant quid darent, aut a suis domunculis pelli, aut avulsis asportatisque ostiis domorum, penitus diripiendos exponi, aut ablata vili supellectili, in summam penuriam redigi, aut certe aliis atque aliis miserabilibus modis affligi et cruciari... Sed haec ab aliquibus levia dictu fortasse aestimabuntur, eo quod ista non solum sub rege Henrico, sed et horum et similia multa facta fuerunt sub fratre ejus, ut de patre taceam.

2. *Archaeologia*, t. VIII, p. 336.

3. W. Stubbs, *Select Charters*, *Dialogus de Scaccario*, lib. I, cap. VIII, p. 193.

domus regiae necessaria ministrabantur. Statutis itaque temporibus, victualia de fundis regiis vassalli ad curiam deferebant. Certum autem habebant officiales domus regiae, a quibus comitatibus triticum, a quibus diversae species carnium, vel equorum pabula, vel singula necessaria deberentur. Quibus solutis, secundum constitutum modum unius cujusque rei, officiales regis rationes conferebant, vectigalia quaeque redigentes in justam denariorum summam. Viguit igitur hic agendi modus, a temporibus Willelmi regis usque ad tempora regis Henrici, ejus filii. Cum autem Henricus, in transmarinis remotisque partibus saepissime versaretur, et in sedandis tumultibus et seditionibus operam poneret, ingenti copia numeratae pecuniae indiguit. Aliunde vero, ad ejus curiam exhausta colonorum multitudo confluebat, vel (quod ei gravius videbatur) praetereunti frequenter occursabat, oblatis vomeribus, « in signum deficientis agriculturae ». Gravissimis enim molestiis premebantur, occasione victualium, quae per plurimas regni partes a sedibus suis deferre cogebantur. Illis igitur querelis commotus rex, convocato procerum concilio, homines elegit, quos ad id prudentiores et discretiores esse existimavit, qui totum regnum circumirent, et oculata fide fundos singulos perlustrarent. Qui cum instituissent aestimationem victualium quae de singulis fundis solvebantur, eadem in summam denariorum redegerunt : ejus vero pecuniae, ex omnibus fundis in unoquoque comitatu redactae, vicecomes scaccario rationem reddebat. Non defuerunt autem vicecomites, qui, cum agricolarum et pauperum detrimento atque injuria fierent inde locupletiores.

Cujusmodi injuriae creverunt in Anglia, regnante Ste-

phano, siquidem « ingens thesauri copia jam deperierat, « pax in regno nulla, caedibus, incendiis, rapinis omnia « exterminabantur[1]. » Itaque, Anglia, cum per viginti circiter annos, « intestinis malis exsanguis et exhausta « tabuisset[2] », regem Henricum II, « conclamantibus « prae gaudio per totum regnum hominibus excepit[3] ». Infelicitatem enim experti, de novo principe, ut fieri solet, meliora sperabant.

Qui cum multa quidem excitaret quae jacere videbat, discordiarum impetu perculsa atque prostrata, revocaret leges et justitiam[4], comprimeret procerum audaciam[5], multaque alia quae dilapsa jam defluebant severis legibus vinciret, tamen non potuit impedire quominus vicecomites, ballivi, variique procuratores regii, populum acerbissimis vexationibus, procurationum simulatione, affligerent. Itaque, anno 1170, quaestionem in hos depeculatores, vexatores, praedones, exercendam esse constituit, ut a judicibus diligenter investigarentur labes procurationum, stragesque comitatuum. Harum igitur injuriarum, quae criminibus infinitis implicatae erant, summa generatim cognoscenda haec erat : « Inquiratur de vicecomi- « tibus inprimis et ballivis eorum, quid, vel quantum « acceperint de singulis hundredis et de singulis villatis,

1. Henrici archidiaconi Huntindunensis *Historia Anglorum*, l. VIII, p. 267.

2. Willelmi de Novoburgo *Historia rerum Anglicarum*, t. I, p. 60,

3. Id., t. I, p. 89.

4. Robertus de Monte, *Chronica*, t. I, p. 291.

5. *Gesta regis Henrici II*, t. I, p. 4, ...Peracta... sollemnitate Paschali, perrexit inde Londonias, et ibi magnum celebravit concilium et ibidem deposuit fere omnes vicecomites Angliae et ballivos, pro eo quod male tractaverunt homines regni sui... *Id.*, p. 207. — Robertus de Monte, *Chronica*, t. II, pp. 28, 42, 117.

« et de singulis hominibus... unde terra vel homines « gravati sint, ...et similiter inquiratur de ballivis regis « qui per terram suam erraverunt pro negotiis regis « faciendis, quid eis datum sit[1]. »

Ricardus I, aere alieno pressus, pecuniam quocumque modo obtinendi cupidus, non is erat profecto, qui vexationes et prisas omnes illicitas tollere conaretur[2]. Eadem vero mala, regnante Joanne, gravius invaluerunt, quippe qui, praetextu recuperandi Normanniam et alias terras suas, quibus eum rex Franciae Philippus spoliaverat, non tantum « inaestimabilem et incomparabilem faceret pecu- « niae numeratae exactionem, nullis viris clericis vel laicis « parcens[3] », sed etiam, « malo usus consilio peteret (a « baronibus) castella sua[4] », alienigenasque tueretur qui frequenter « perambulabant terram vastantes, et praedam « ubicumque poterant capientes[5]. »

Verumtamen, in illa Carta de Libertatibus Angliae, quae « apud pratum Runnymede » est edicta, quamque post tot diuturnas cruentasque pugnas, Henricus III a superbis baronibus compulsus confirmare coactus est, non desunt articuli contra vexationes, nomine procurationum et praeemptionum, commissas. Quorum praecipuos non abs re visum est ante oculos ponere :

1. Ms. Rawlinsonianus, C. 641. — Cf. W. Stubbs, *Select Charters*, p. 150.

2. *Chronica* Magistri Rogerii de Hovedene, t. III, p. 210 ; t. IV, pp. 40, 63... his igitur et talibus vexationibus sive juste. sive injuste tota Anglia a mari usque ad mare redacta est ad inopiam. — *Gesta Regis Ricardi*, a Benedicto abbate, t. II, p. 90.

3. *Annales Monastici*, *Annales de Waverleia*, t. II, p. 264.

4. *Chronica* Magistri Rogerii de Hovedene, t. IV, p. 161.

5. *Annales Monastici*, *Annales de Waverleia*, t. II, p. 283

18. Ne constabularius vel alius ballivus capiat blada vel alia catalla, nisi statim denarios inde reddat, nisi respectum habere possit de voluntate venditoris[1].

20. Ne vicecomes, vel ballivus regis, vel aliquis alius capiat equos, vel carettas alicujus liberi hominis, pro cariagio faciendo, nisi ex voluntate ipsius[2].

21. Ne rex vel ballivus suus capiat alienum boscum ad castra vel ad alia agenda sua, nisi per voluntatem ipsius cujus ille fuerit[3].

Haec autem decreta saepius irrita et vana languisse videntur, siquidem iisdem fere verbis rex Henricus III illa sanxit[4].

Immo idem rex, quanquam in *Carta de Foresta*[5] prohibuit ne procuratores, garbas vel avenam, vel bladum aliud, vel agnos vel porcellos exigerent, nisi « per visum et sacramentum » duodecim testium, ansam tamen direptionibus ipse praebuit, mirum enim quam crebras « Commissiones » vicecomitibus et ballivis mitteret[6], ut oves, gallinas, ova, sal, pelles pretiosas colligerent, et castellis regiis, grana resque ceteras ad victum pertinentes submi-

1. Matth. Parisiensis, *Chronica Major*, t. II, p. 595. — *charters of Liberties*, *statuta Regni*, t. I, p. 11.

2. Matth. Parisiensis, *loc. cit.* — *Statuta Regni*, loc. cit.

3. Matth. Parisiensis, *loc. cit.* — *Statuta Regni*, loc. cit.

4. Matth. Parisiensis, *Chronica Major*, t. III, p. 92. — *Statuta Regni*, t. I, p. 15.

5. Henrici Knyghton *Chronicon*, p. 209.— *Statuta Regni*, t. I, p. 20.

6. *Royal and other historical letters*, *illustrative of the reign of Henry III*, auctore W. Shirley, t. I, pp. 357, 403 ; t. II, pp. 66, 91, 338.

7. Matth. Parisiensis, *Chronica Major*, t. V, p. 49 : Coepit tunc demum (1249) vigilanter excogitare qualiter inexhaustum Angliae puteum posset penitus dessiccare... Sustinens enim, ut praedictum est, justam ab universitate magnatum Angliae repulsam, ne amplius bona sua in regni confusionem effunderent, studuit subtiliter, per alia argumenta avaritiae suae vitulam inebriare.

nistrarent[7]. Multae quidem inde lites, multaque mala nascebantur. Cum enim vicecomites, solvendae agricolis pecuniae curam ex officio haberent, vectigalia ab ipsis agricolis tribuenda magis ac magis augebant; quare, etsi una manu aliquot nummos incolis dabant, altera tamen, multo majora ab eis extorquebant.

Cum igitur ita se res haberent, Edwardus I, revocatis in memoriam procuratorum pristinis decretis, jam oblivione paene exstinctis, praecepit ut ne quid constabularii et castellorum praesides, praeter antiqua tributa, a quoquam caperent, aut, si quid habere cuperent, illius pretium, a possessore constitutum, intra quadraginta dies penderent[1]. Haec autem procurationum vulnera, quibus, praeter potestatem regiam, mederi nulla diligentia poterat, Edwardus ipse, urgentibus belli necessitatibus, saepius refricuit[2]. Ministri enim regii, in domos tum privatorum, tum etiam magnatum et praelatorum, burgatorum more, invadebant, et januis fenestrisque fractis, omnia inde auferebant[3].

Quapropter, multae expromptae sunt querelae, proposita sunt remedia, quaedam etiam statuta sunt[4]; ita ut jam non potuerint quicquam exigere procuratores, nisi ad victum familiae regis, et ea lege, ut nihil omnino, praeter res necessarias exigerent, certamque pecuniam sol-

1. *St.* 3 *Edw.* I, cap. 7.

2. *Annales Dunstapliae*, p. 363. — *Annales Osneienses*, p. 326.

3. Walteri de Hemingburgh, *Chronicon*, t. II, p. 54. — *Annales sex Regum Angliae qui a comitibus Andegavensibus originem traxerunt*, a Nicolao Trivet, p. 353. — Willelmi Rishanger, *Chronica et Annales*, p. 175. ...Nimis afflicti sunt, per diversa tallagia, auxilia, prisas, videlicet de braseo, frumento, avena, lanis, coriis, bobus, vaccis, carnibus salsis, sine solutione alicujus denarii, de quibus se debuerant sustentasse.

4. *St.* 25 *Edw. I*, cap. 19, 21.

verent, aut inter eos ac venditores, de ratione, et loco, et tempore dandi pretii conveniretur[1].

Non cessit autem auctoritati regis ministrorum cupiditas et audacia, siquidem sex annis post, iisdem impositis populo vulneribus, alacris exsultabat improbitas provisorum omnium in procurationibus et prisis. Quod sane testantur non pauca exempla huic similia. Homines villae de Kirkebymisperton[2] petunt remedium « super eo quod Ricardus de Doncastria, Walterus de Saham et alii ballivi, simul cum vicecomite Eboracensi, ceperunt XXIII quarteria avenae de eisdem ad opus Reginae,.. et inde, nihil postmodum receperunt[3] ».

Multa sane hujuscemodi sollicitabant animos, in Parliamento convocato apud Westmonasterium anno 1309[4], et ex praeteritis vexationibus, et ex eis quae singulis intendebantur. Itaque, prae ceteris omnibus petitionibus, illam protulerunt, ut Edwardus vellet injurias procurationum simulatione commissas diligenter emendare[5].

Quae cum parvi faceret ille rex « elegans corpore, viribus praestans, sed moribus, si vulgo creditur, plurimum inconstans[6] », res in pejus declinaverunt. Tum demum, quasi ad meliorem frugem se reciperet, Edwardus, auctoritate sua, pristinas leges de procurationibus confirmavit et edixit[7], quin immo gravium poenarum, et etiam mortis

1. *Art. super cartas*, cap. 2, 28 Edw. I.
2. In comitatu Eboracensi, tria millia passuum circiter abest a Pickering.
3. *Rot. Parl.*, t. I, p. 195, 35, Edw. I.
4. Die 27ª Aprilis.
5. *St.* 2 *Edw. II*: « de prisis injustis non capiendis a viris ecclesiasticis seu aliis », p. 153. — Item: « *Statutum apud Staunford* », p. 154.
6. Henrici Knighton *Chronica*, p. 407.
7. *Rot.* t. *Parl.*, I, p. 282, 5 Edw. II. Le peuple de la terre se leve

timorem, omnibus reis incussit, ita ut in posterum a rebus alienis diripiendis ministri regii sese coercerent.

Sed mox, omnis fracta moderatio est effrenata cupiditate habendi et extincta, regis Edwardi levitate. « Tanta enim in diebus ejus caristia tritici fuit, quanta a retro seculis visa vix fuerit. Tunc decimationes juges, assiduae contributiones, temporalium et spiritualium continuae expilationes[1]. » Quippe Hospitii regis provisor ipse, tametsi Londinum maximis immunitatibus frui sciebat, ibi tamen, in conspectu omnium civium et ipsius regis, ausus est procurationum juribus abuti. Anno enim decimo octavo regni, poena carceris constituta est in venditores piscium, qui pisces sive ex aquis dulcibus, sive ex marinis eductos, monasteriis, castellis, domibus denique extra Londinum positis, aut ipsi afferrent, aut ferendos aliis quibusvis committerent, priusquam omnia quae vo-

pur prises et diverses oppressions faites einz ces heures, nomement pur ceo qe autrefoiz, estoit ordeine qe notre seignur le Roi, vesquist de soen, saunz prises faire, autres que les auntiennes dues et acoustumeez, et totes autres se ceissassent, et noun pas pur ceo, prises sont faites de jour en jour, countre cel ordeinement, come avaunt, nous ordeinons qe totes prises cessent desoresmes, sauves les prises anciennes, droitureles, et dues au roi, et as autres, as queux eles sont dues de droit. Et si nules prises se facent encountre l'ordeinement susdit, par qui qe ce soit, ou de quele condicion qu'il soit ; c'est asavoir, si nul, par colour de purveaunce faire a l'oeps notre seignur le roi, ou a autri, prengne blez, merz, marchaundises ou autres manere de biens, contre la volunte de ceux a qui il sont, et ne rende maintenant les deniers, a la verroie value, s'il ne puisse de cela avoir respit de la bone volunte, le vendour, solunc ce qe est compris dans la Grande Charte, des prises faites par conestables des chateaux et leurs baillifs... nient contre estante commission q'il eit, soit levee sur li, la menee par Hue et Crie, et menes a la prescheine gaole le roi, et de lui soit faite commune lei, come robeour, et de laron...

1. Henrici Knighton *Chronica*, loc. cit.

luissent, regii provisores selegissent[1]. Quid autem? Rex ipse, effusa jam maxima praeda, quam ex fortunis mercatorum et agricolarum, ex portubus urbibusque totius Angliae exhauserat, cum partim ejus praedam profundae libidines devorassent, partim nova quaedam et inaudita erga familiares liberalitas, partim etiam in illis omnibus comitatibus, ubi omnia diripuit[2], effusi sumptus ad animos baronum et procerum sibi conciliandos; se ipsum, amorem populi, nomen ac dignitatem imperii perdidit.

Haec quidem properans exposui, ut aliquando veniremus ad illa tempora quibus *Speculum Regis* Simon Islip scripsit. Quod si rerum, de quibus hactenus disseruimus summa quaeratur, sic, ut opinor, paucis comprehendi potest: reges procurationum et praemptionum juribus frui solebant[3], ut impensas propriae familiae sublevarent,

1. *Archaeologia*, t. VIII, p. 337.

2. *Flores Historiarum*, p. 227. ...Per satellites satanae, judices iniquos, primoribus colonisque regni Anglorum ad nudum expoliatis, statuit denuo rex, toto cordis affectu, equos et jumenta consimili sententia spoliationis cum effectu condemnare, ut animalia bruta, per diversas regni partes constituta, in jubis et caudis, per tonsionem, injuriam sentirent eamdem, quam domini sui primitus in suis substantiis passi sunt, ob sceleratorum falsitatem. Jusserat namque caudas brutorum et jubas forcipibus continuo tonderi, ac pilos ex his collectos ad machinas contra debellantium incursiones componendas Londonias festinanter deferri. Sperans victoriam in caudis animalium, de hostibus reportare, qui nec armorum insignia sibi resistentium ausus fuerat eminus contemplare.

3. Hujusmodi jura, non tantum regi, in suo regno, sed etiam principibus, dominisque quibusvis, in suis possessionibus et fundis, praesto erant. Qui nimirum, agricolarum, quos in sua tutela servabant, jumentis, equis, plaustris, utebantur, ut frumentum ceteraque omnia ad nundinas mitterent, aut sibi quamcumque vellent rem frumentariam providerent. Hoc servitutis genere, fundis imposito, noluerunt magnates liberare vassallos, nec ejus loco pecuniam accipere, quamvis jam ab Henrico I, hanc vectigalium mutationem comprobari viderent. Cf. Philips, *op. cit.*, pp. 143, 162.

et ut exercitus classesque instituerent, ornarent, atque sustinerent. Quorum jurium usus tripartitus exponi potest : aut res capiendo, aut eas minori pretio emendo, aut earum loco pecuniam numeratam accipiendo, reges Angliae vectigalia percepisse potissimum videntur[1].

Quis est autem, qui non intelligat eo plus invaluisse procurationum omnium vexationes et injurias, quo vehementius regibus Angliae bella fere continua cum Galliae regibus intercesserint[2] ?

Insuper, quamdiu milites et barones, ratione justae militiae, dominum suum, in bellum, ad certum dierum numerum propriis impensis[3], secuti erant, non tantissa ne praestationibus affligebantur opprimebanturque vassali, siquidem milites et barones, quantumvis avidi, non tamen iis viribus pollebant, ut possent, ad cupiditatem suam adimplendam, admodum pressis vestigiis audaciam regis sequi[4]. Postea vero, paulatim invaluit mos accipiendi scutagium : quae praestationes erant a militibus et baronibus, ratione feodi militaris, tributae, ut essent immunes a militia, si ipsimet, vel eorum loco alii, in exercitum regis non pergerent[5]. Ac propterea regiarum partium fuit, mercenarios milites, solidarios, ut aiebant, conducere, eosque omni apparatu instruere atque munire[6].

Quod ut assequerentur reges, non solum procuratio-

1. W. Cunningham, *The growth of English industry and commerce*, p. 255.

2. *Id.*, p. 256.

3. Cunningham, *op. cit.*, p. 256. ...so long as the Knights, had « to find themselves ».

4. Cunningham, *loc. cit.*

5. W. Stubbs, *op. cit.*, t. I, pp. 581, 588.

6. Cunningham, *loc. cit.*; it became the duty of the king, to organise *a commissariat*.

nibus et prisis, antiquo more perceptis, indiguerunt, verum etiam, mercedes invectas aut evehendas, summo studio foenerati sunt.

Haec ideo animadvertenda visa sunt, ut historiam procurationum, regnante Edwardo III, plenius intelligeremus.

LIBER III.

CAPUT I.

DE PROCURATIONIBUS IN ANGLIA REGNANTE EDWARDO III. VARIAE SPECIES PROCURATIONUM.

Cupienti Edwardo III res patrias amplificare, de imperio regni Galliae cum Philippo VI decertare, hostes omni copiarum genere abundantes subjicere, terras disjunctissimas victoriis peragrare, non fuit in animo ut onera procurationum attenuaret. Crebris enim motibus in Scotia, in Hibernia, in Wasconia, fortuna regni Angliae labefactari ac nutare videbatur; pecuniarum angustia eo usque rex deprimebatur, ut saepe cum baronibus et cum tota « regni communitate », quasi aequo jure, de vectigalibus percipiendis decertare cogeretur. Quae rerum difficultates jam a temporibus Edwardi I et Edwardi II coeptae, regnante Edwardo III, in deterius vergebant.

Ingentia nimirum erant tot bellorum dispendia, quibus ut subveniret Edwardus, tantis tributis regnum exhauriebat ut quasi vectigalis tota Anglia, singulis rebus, quaecumque venirent aut exirent, certo portorio imposito, servis regiis publicanis fieri videretur[1]. Quapropter, quanquam

1. Thorold Rogers, *op. cit.*, t. I, p. 119. — Cunningham, *op. cit.*, p. 256.

partis, apud Sluzias, Collem Halidonii, Cressiacum victoriis, clarissimi cujusque regis Angliae gloriam superasse existimabatur, tamen, res patriae et regis fortuna, magis ac magis in pejus, procurationum ingenti veluti pondere, deflectebant.

Haec autem omnia, Edwardus cum sciret, cum audiret, cum videret fere quotidie, et praesertim singulis Parliamenti convocationibus, nihilominus cum tanto periculo omnes suorum voluntates alienandi fieri patiebatur; et tantum apud eum bellicae laudes, tantum « hastiludiorum » splendor, tantum victoriarum blanditiae valuerunt, ut nunquam animum ejus cura pauperum agricolarum, aratorum, pecuariorum, nec cogitatio tetigisse videatur[1]. Vix igitur credibile est, quod et quantum incendium, procurationum, prisarum, decumanorumque omnium impetu, non solum per agros, sed etiam per reliquas fortunas aratorum et mercatorum, neque solum per bona, sed etiam per jura, libertates, et immunitates urbium atque comitatuum, Edwardo III regnante, pervaserit[2]. Quibus autem omnibus extorsionibus, cum instituta regni, bonas consuetudines a majoribus traditas, in Magna Carta statutas, et postea semel atque iterum, confirmatas et sancitas[3], conditionem pacis convelleret et commutaret, nihil tamen omnino novi audebat; edictis enim atque institutis ab Edwardo I principe inventis et excogitatis utebatur[4].

1. W. Stubbs, *op. cit.*, p. 546 : the estimated expenditure of Edward III between july 20, 1338, and may 25, 1340, a period of unexampled outlay, was : 337.104 l. 9 s. 4 d.

2. W. Stubbs, *op. cit.*, t. II, p. 535. — Hallam, *State of Europe during the middle ages*, t. III, p. 228.

3. A § 4.

4. A § 40.

Quapropter, illud in rege Simon Islip reprehendit et coarguit, quod in re tam injusta, tam funesta, tam odiosa, patris et avi vestigia secutus sit.

Quoniam autem summam et numerum injuriarum non possumus exponere ; singillatim autem de uniuscujusque incommodo dicere infinitum sit ; genera ipsa injuriarum, duce Simone Islip, referemus.

Quam facile serpat injuria et peccandi consuetudo, quam difficile reprimatur, intelligimus ex eo quod Edwardus III non fuerit immemor earum artium, quas, quadraginta annis ante, quaerens ipse secum Edwardus I, et agitans cum suis, excogitaverat, ut in omnibus Angliae comitatibus maximam, singulis annis, pecuniam colligere posset.

Cum igitur novos sibi quaestus constituisset, magnos sane et uberes, jam non solum ex variis victualibus, ut fieri solebat, sed etiam, ex quibusvis rebus venalibus, ex coriis praesertim, vinis et lanis, quae ministri regii, invitis dominis, iniqua lege, emebant quo pluris venderent[1], tanta vis erat, fraus tanta, ut homines quidvis perpeti quam non de talium prisarum iniquitate et injuriis deplorare et conqueri mallent. Profecto, quamquam singulari fortasse audacia praeditus, tamen ab se totam alienari Angliam[2], tot homines, tot barones, milites, et burgenses honestissimos, sibi adversos fieri noluisset Edwardus, nisi hanc rationem et cogitationem dignitatis suae, rerum inopia ac praesens illa praeda superavisset.

Ac proinde, ut avena, frumento, carnibus, equis et ar-

1. Cunningham, *op. cit.*, p. 256.
2. A § 11, 38.

mis exercitus suos instrueret; ut classes, quibus milites veherentur, colligeret, et omnibus rebus ornaret, ab anno praesertim 1337[1], avita lege, paene omnem licentiam diripiendorum aratorum, subjectorumque suorum omnium, ministris suis permisit, ut propemodum, quantum vellent, poscerent; quantum poposcissent, auferrent. Emebat, exempli gratia, « minori pretio, etiam invitis dominis » triginta millia saccorum lanae, quos postea pluris venderet[2]. Quid autem ? Illa cujusmodi sunt, quae iisdem temporibus Edwardus edicit ? Quo facilius nempe, et certius vectigalia colligantur et ad quosdam assignatos portus deportentur, exoritur peculiare edictum, ne quis lanam vendat aut emat antequam publicani portionem regi concessam perceperint[3]. Statuitur insuper ut aratores praebeant equos, plaustra, et quo velint exactores prisas regias asportent. Quae diversae prisae, ut usque

1. Rymer, t. II, part. II, p. 958. Cum vos priorem de Blida nuper quadraginta quercus, pro factura cujusdam galeae quam, apud villam de Kyngeston super Hull, ...ex certis causis fieri ordinavimus, ad rogatum nostrum nobis concesseritis, ac, sub *confidentia maeremii illius facturam* praedictae galeae jam incipi fecerimus... Plurima hujuscemodi invenies apud Th. Rymer, *passim.*

2. Multae sunt apud Thomam Rymer epistolae regis Edwardi III de lanis mutuandis quae haec aut harum similia praebent : Negotiorum pridem nostrorum, arduitate pensata, circa quae sumptus effudimus excessivos et effundimus incessanter, ac necessitate cogente, quemdam clericum nostrum, cum litteris sub magno et privato sigillis nostris ad vos duximus destinandum, rogantes, quatinus de lanis vestris, in nostra tam urgente necessitate, nobis subvenire per viam mutui curaretis, de quibus vos satisfieret tempore constituto... excusationem nequimus admittere in hoc casu. Rymer, t. III, part. I, p. 131.

3. *Rot. Parl.*, t. II, p. 120. ...soient briefs mandez as custumers, coment le counseil ad entenduz qe plusours Leynes sont passez en divers lieux et passent de jour en autre, sanz ce qe le Roi est servi de la custume qi a lui apartient; et qe le Roi voet eschure tielx malx, comande a eux q'il ne soeffrent nulles Leynes passer sanz ce qe le Roi soit duement servy de sa custume.

in Brabantiae nundinas, aut alibi, transferantur naves onerariae, summa regis potestate imperatae, in Tamisia plures menses aliquando detinentur. Itaque, teste Adamo Murimutensi[1], « tota utilitas mercatorum et nautarum et omnium mercimoniarum vehendorum et reportandorum per mare fuit illo anno (1337) nequiter impedita. »

Cum haec essent ita constituta, rex autem non posset revera ipse res suas agere, et propriis suis manibus aut venditori solvere, aut ab emptore recipere, quosdam mercatores homines suos instituit, qui, regis nomine, vectigalia regia colligerent[2]. Quae res cum ad pactiones iniquissimas magnam vim habuit[3], neque ad veram utilitatem Edwardi pertinuit, tum vero ad vexationes pauperum praesertim agricolarum, qui omnes spoliabantur, prout vellent exactores, aditum patefecit. Ecquem enim putes exactorem, hac tantalicent ia permissa, ut paene tantum ab aratore quantum poposcisset auferret, procurationum nempe simulatione, atque ut castella regia rebus omnibus necessariis instruerentur et componerentur[4], ecquem putes, inquam, exactorem non plus quam deberetur poposcisse ? Consideret cum suo quisque animo, ecquem putet, praesertim cum id non solum avaritia, sed etiam imprudentia accidere potuerit; multos

1. Adami Murimutensis *Chronica*, p. 80.

2. *Rot. Parl.*, t. II, pp. 118, 120, 140. — Rymer, t. II, part. II, p. 989. ...Come nous eons chargez noz chers merchauntz de faire nostre purvoiance et lachate de trent mille sacs de laine... et q'ils facent la vente des laines, et que de deniers issantz de la vente des ditz laines, nous facent chevissance de deux centz mille livres...

3. Th. Rogers, *op. cit.*, p. 119.

4. *Rot. Parl.*, t. II, pp. 32, 34, 109, 115.

ita egisse putandum est. Quin immo fatentur multi coaevi, illos exactores plus ac multo plus quam justum tributum abstulisse. Nemo erat arator, qui injuriam sibi factam queri posset. Interea ministri regis, capiebant et asportabant non solum res venales, ut lanas, et cetera hujusmodi, sed etiam equos, frumentum, avenam quantum volebant ; omnibus autem locis, aratores et pauperes spoliati ac vexati gemebant : neque tamen « simplices homines unius villae audent eis resistere, propter multitudinem eorum......... admittunt eos, et circa eos faciunt graves expensas[1]. »

Quae quidem expensae eo graviores erant quo vehementior audacia ministrorum regis[2]. Qui, cum in aliquem locum se conferrent, ibi, lautissima quaeque, cum sibi, tum equis suis, subministrari jubebant, neque rerum angustiam, in qua saepe versabatur hospes, alicujus momenti faciebant. Postridie vero, cum in eo erant ut proficiscerentur, « pro litera nihil solvebant, nec pro lecto suo, nec pro igne, pro foeno, solum unum denarium », et sic,

1. A § 20. — Ad. Murimutensis, *Chronica*, p. 82. Super omnium populorum dolorem vulnera addiderunt regii exactores qui... pro se ipsis, in omni villa et villula et parrochia, *ultra praedicta fisco applicanda*... portionem suam pecunialiter, non mediocriter emulserunt.

2. A § 26. — *Rot. Parl.*, t. II, p. 169. ...prie la commune qe come les chivalx le Roi, la Roigne, et le Prince, pullains et autres eirent en divers lieux d'Engleterre, fesantz trop granz damages et extorsions au poeple, prenantz feynes, litere, feves, aveines, et autres choses, a grant grevance et destruction du poeple, contre la volente de ceux a queux les blez sont, et contre l'ordenance ent faite. Pleise au Roi ordener, ou qe les chivalx soient demorrantz en certein lieu du countee ou ils sont, et qe pur eux en covenable temps de l'an, soient faites purveances par les deputez, come poent atvenir ove celui a qi les biens serront, et ce, ou ils sont a vendre, et nenni autrement ; ou donqes soit enquis de lour mal porte devant ces heures. — p. 228. ...Pleise a nostre seignur le Roi commander qe tiels purveaunces, due paiement en soit fait, en relevement de son poeple, et en oevre de charite.

« facta computacione, non solvebant medietatem expensarum ». Quis autem aratorum et agricolarum non maximo se affectum beneficio existimabat, cum dimidiam partem justi pretii, aut etiam aliquid minus, acceperat ? Maximis scilicet gratiis prosequebantur illum exactorem honestum, humanum, « curialem[1] ».

Multi enim alii erant, qui non tantum frumentum, panem, avenam, cervisiam, gallinas, sed etiam oves, vaccas, boves, porcos quam maxime pingues et nitidos, nulla soluta pecunia, exigerent[2]. Quin immo, « garcionum » aliorumque regis servorum injuriis exagitati, arationes plurimi agricolae reliquerant, nec glebam quidem in agro commovebant. Sic igitur affectae videbantur multae Angliae regiones, ut hae terrae solent in quibus bellum acerbum diuturnumque versatum est. Quos olim campos antea prataque nitidissima viridissimaque vidisses, haec ita vastata nunc ac deserta squalebant, ut tantam jugerum multitudinem quaereres. Labefactatam enim rem domesticam aratorum annis malis ; exactores regii funditus evertebant. Quippe qui servos et equos arationibus deditos requirerent et plures dies apud se servarent; exhibitio « cedulae signatae quodam sigillo ignoto[3], saltem illis de parochia », vim adhibebat pactioni, non voluntatem. Quamquam illa fuit ad afflictionem agricolarum, singulari nequitia reperta ratio, quod ministri regii expelle-

1. A § 27.

2. A § 14. — *Rot. Parl.*, t. II, p. 168. Qe come les aveners nostre seignur le Roi, la Roigne, et le Prince, severalment viegnent... et asseont d'an en an les villes en severalte a la foitz, en x quarters des aveynes, et en plus et a meyns a lour volenteez, et les font carier ou que lour plerra, saunz rien paier...

3. A § 20.

bant, « equos, oves et boves et cetera animalia pauperum, de domibus suis, et ibi, collocabant animalia regis et animalia filii [ejus][1] ».

Quod si tamen pecuniam aliquam se daturos esse promittunt, id perinde est ac si possessorem spoliatum derideant[2]; siquidem, volentes « pecuniam debitam de ministris habere, oportet eos laborare per quinque vel sex leucas, et quandoque ultra, ad pecuniam quaerendam, et forte ibidem morari per unum diem, et contingit quod non expedient, nisi aliquid de suo dederint[3]. » Ita ut, quasi vexationum augendarum causa, haec inventa esse videantur.

Hi autem ministri, qui saepius prae cupiditate, neque officii sui, neque justitiae, neque pietatis, neque humanitatis, rationem habent, neque in eo quod monentur, auctoritatem honestissimorum, gravissimorumque hominum, nec in eo quod praestare jubentur, voluntatem regis, anteponendam arbitrantur libidini suae; nulli generi hominum, nulli ordini sive laicorum, sive praelatorum, sive mona-

1. A § 17.

2. *Rot. Parl.*, t. II, p. 258 ....prie la commune, qe des totes maneres purveances faites ou a faire qecumques purveour soit due paiement fait au poeple, deinz vynt soldz, sur la purveance, et de grosse purveance, au meyns deinz le quarter de l'an apres la purveance faite ; et soit le paiement fait deinz mesme le countee.

3. B § IV. — *Stat.* 28 *Edw. III*, cap. XII, p. 347. ...la gent du roialme et pluseurs autres, se sont compleintz des grevances qi leur sont faites, de ce qe les purveours notre seigneur le Roi, ma dame la Roigne, du Prince, et des autres, ount pris de eux leur biens, vivres et vitailles, et les en ount baille tailles, assignantz a eux, jour et lieu de receivre leur paiement, en foreins et lointismes lieux, ou ils ount despendre la value de la chose issint pris de eux, ou le double, avant qils eient receu leur paiement, et sovent ount failli de tout...

chorum parcunt[1]; horum omnium communes hostes praedonesque sunt.

Genera procurationum et prisarum, praecipuis nominibus jamdudum protulimus; infinitam multitudinem injuriarum adumbrare tantummodo potuimus. Illi autem qui per totam Angliam, exactorum et procuratorum impetus, aratorum direptiones, pauperum miseriam fama cognoscebant vel etiam ante oculos habebant tot calamitates et tantam perniciem aequo animo ferre non valebant. Cum igitur omnia patriae commoda et jura, procurationum abusu convelli atque destrui viderent, hoc statuerunt ut assiduis petitionibus et querimoniis procuratorum insolentiam, palam impugnarent.

1. A § 13. — *Rot. Parl.*, t. II, pp. 101, 105.

CAPUT II.

PETITIONES IN PARLIAMENTO ADVERSUS PROCURATIONES. — MONITIONES SIMONIS ISLIP.

Multa profecto, coram Parliamento convocato, legati disertissimi, omni prudentia et virtute ornatissimi, pro tota « regni communitate » de procuratorum perversitate, graviter et copiose dixisse ac deplorasse, ex multis Rotulis Parliamenti accipimus[1]. Ex quibus nimirum diligenter

1. Ne longior sim in referendo, duobus tantum exemplis ostendam cujus tenoris fuerint plerumque illae querimoniae: « A notre seignur le Roi, et a soen conseil, se pleignent les genz del comte de Sommerset et de Dorcester, qe le viscomte de meme comte, prist des gentz avant ditz, 580 quarters de furment, et 300 bacounes, a l'oeps le Roi, come il dist, et il ne voeille par sa graunt meistrie et seignurie, allouer por 20 quarters, pas plus qe pour 16, et c'est a savoir; 10 deniers par boisseau de blé, la ou il le revend ensuite 15 den.

« Par quoy vos liges gentz sont grandement endamages, et vous, chier seigneur, vous ne profitez pas des blez et bacounes avant ditz, ni d'autres, ni vos liges gentz non plus.

« Par quoy il vos prient d'y remedier; car nul des ditz ne sera si hardi que de se plaindre, et s'il le fait, il ne porra contredire. » *Rot. Parl.*, t. II, p. 40.

« A notre seignur le Roi, et a son conseil, prient les genz de la commune de sa terre, auxi bien des cités et burghs come des comtez, qe la, ou il demande d'eux, une eide por sa guerre, pleise a sa tres excellente et bone seignurie sovenir, coment les ditz communes de sa terre, ount este chargez annuellement des diverses taillages, come des quinzismes, leines, vitailles. . et plusiours autres charges, par queux ils sont a poy anientiz. Et auxint, au derrein Parlement, quant les dites communes granterent deux quinzismes, en eide de complissement de la dite guerre, grantez lour feust, et certeinement promys... que mes ne serraient chargez, ne grevez d'ascunes mises et taillages.

lectis, quasi lugentes omnes Angliae comitatus, querentes omnes urbes et villulas, regnum denique totum, de ministrorum regiorum cupiditatibus et injuriis expostulantes, quasi audire nobis videmur; locum denique inter mare Germanicum et Oceanum occidentalem, quasi nullum fuisse intelligimus, quo non per ea tempora, procuratorum libido iniquitasque pervaserit. Dolebat igitur Parliamentum, jam non vim, non arma nationum exterarum, non bellum, non exercitus amissos, sed luctum, lacrimas, querimonias Anglorum hominum.

Cum autem tot et tantae, tamque graves Parliamenti monitiones parum apud regem valuisse viderentur, Simon Islip existimavit sese gratum facturum esse Anglis omnibus, si eorum injurias suo labore et incommodo suo prosequeretur ; non minus fortasse, idem gratum majoribus, baronibus, equitibus, et praelatis, qui hoc arbitrarentur juris, libertatum omnium in Magna Carta statutarum, rerum, fortunarumque suarum salutem in procurationibus attenuandis vel etiam tollendis consistere. Itaque, hoc onere suscepto, et recepta causa adversus procurationum injurias, amplexus animo est aliquanto amplius[1] ; suscepit enim causam totius rei publicae recte componendae, suscepit causam prosperitatis Angliae, quam putabat tum denique stabiliri, augeri, dilatari posse, si non modo ministrorum, exactorum, procuratorumque omnium audacia, accurate contineretur, sed etiam procurationum jus et

« Et nient aresteant, les ditz grantes et promesses, sont vitailles levez sur la commune, saunz rien paier ; les chivalx le Roi et le Prince, gisantz diverses parties, as griefs costages de la commune. » *Rot. Parl.*, t. II, p. 159. Cf. etiam, pp. 105, 140, 159, 238, 247, 258, 319.

1. A § 46.

« praerogativum » penitus tolleretur. Existimat enim, Simon Islip, « praerogativum illud maledictum, diabolicum », infinitorum malorum esse principium et fontem.

Illud igitur « praerogativum regium », « capere res, invito domino, minori pretio », non solum dicit esse contra leges Angliae[1], contra leges humanas omnes, contra jus gentium[2], sed etiam contra jus divinum, vi cujus, « in hoc mundo, debent esse homines liberi ad faciendum de se et suis secundum suam voluntatem[3] ».

Dubium profecto Simoni non erat, quin omnes omnium facultates positae essent in eorum potestate quibus nomine regis « res, invito domino, minori pretio », capere liceret. Ubi erant enim exactores justissimi atque moderatissimi, qui nihil ultra debitum poscerent, nihil ultra normam aequitatis exigerent? Verum, esto; erant nonnulli. Attamen, judicio Simonis, prisarum praerogativum ejusmodi erat ut servari non posset, quin esset causa gravium vexationum.

Nam quid esse reliqui poterat ei, qui per multitudinem prisarum, non modo fructus omnes amittere, sed etiam equos, boves, instrumentum omne tradere cogeretur[4]? Quo enim se verteret non habebat. Ex quo fructu vectigalia, quae tot ac tanta regi daret, inveniret? Procurationum et prisarum nomine tantum erat ablatum, quantum voluntas tulerat vicecomitum, eorumque servorum; pro aliis prisis, requisitis animalibus, emptoque frumento, aut

1. A § 4.
2. A § 1.
3. A § 5.
4. A § 14.

nihil datum, aut tantum datum, quantum reliqui scriba aliquis fecerat, aut ultro etiam, id quod saepe fieri solebat, aliquid ablatum. Cogantur etiam procurationes ab agricolis? Quomodo? Quo jure? Qua ratione[1]?

Nam, cum fructus diripiebantur aratorum et rusticorum hominum, atque omni lacerabantur iniquitate; videbatur id perdere agricola, quod aratro ipse quaesisset, in quo elaborasset, quod agris egetesque extulissent. Quibus injuriis gravissimis, tamen illud erat miserum solatium, quod id perdere videretur, quod, alio benigniore vicecomite, eodem ex agro reparare posset. Ingenti vero plurium procuratorum cupiditati, ut satisfaceret agricola, equos, boves, aratrum ipsum, et omne instrumentum traderet necesse erat, quae sane non aratro ac manu quaereret. Cum enim aratori onus aliquod imponitur, arationis ipsius vis ac ratio consideretur vult Simon Islip, quid ea sustinere, quid pati, quid efficere possit ac debeat. Porro, ne alicujus quidem momenti haec habebantur, prisis in Anglia vigentibus, sed erant agricolae, per totum regnum, omni ratione perditi et exinaniti. Ac proinde non dubitat Simon, quin iterum atque iterum, regem hortetur, ut tollat « illud maledictum praerogativum ».

1. A § 17.

CAPUT III.

STATUTA REGIS EDWARDI III DE PROCURATIONUM JURE.

Jamvero plenum erat utilitatis, sed etiam audaciae Simonis consilium; non tamen erat prorsus novum aut inauditum, nam pluries in Parliamento adductae fuerant procurationes et prisae in sermonem, invidiam, vituperationem, damnationem; dictitatae fuerant consuetudines improbae, perniciosae et omnino tollendae. Hujusmodi quidem consilio in omnibus obsequi quamvis Edwardus noluerat, tamen officii sui regii existimavit esse, morem aliquo modo gerere praelatis, baronibus et communitati toti Angliae.

Statuta igitur nonnulla edixit, quae profecto minime tollerent jus prisarum, sed illud saltem attenuarent[1]. Quid poterat elegantius et opportunius facere rex aere alieno perditus, sed tamen cupidus existimationis bonae amorisque populi, qui ab sese omne odium propulsare, et nihilominus se eripere ex ingentibus debitis non solutis, cuperet?

1. Praecipua statuta regis Edwardi III, de variis procurationum generibus, haec fere sunt: *Stat.* 4 *Edw. III*, cap. 3, 4, t. I, p. 262. — *Stat.* 5 *Edw. III*, cap. 2, p. 266. — *Stat. II*, 10 *Edw. III*, cap. 1, p. 276. — *Stat. I*, 14 *Edw. III*, cap. 19, p. 288. — *Stat. II*, 18 *Edw. III*, cap. 7, p. 301. — *Stat. V*, 25 *Edw. III*, cap. 1, p. 319. — *Stat.* 28 *Edw. III*, cap. 12, p. 347. — *Stat.* 34 *Edw. III*, cap. 2, 3, p. 365. — *Stat. I*, 36 *Edw. III*, cap. 2, 3, 4, p. 371.

Statuit[1] scilicet ut jus prisarum jam non ad quosvis comites et principes, ut praeteritis temporibus fieri solebat, sed tantum ad regem, ad reginam et ad regiam familiam pertineret[2]; eo tandem liberalitatis devenit Edwardus III ut sponte sua, nullius, ut dicebatur, voluntate compulsus sibi tantummodo reginaeque prisas concederet[3].

Ita serpebat illud veluti insitum in natura procuratorum malum, consuetudine peccandi libera, ut finem audaciae statuere ipsi sibi non possent. Veniebant igitur « cum falsis commissionibus », veniebant plures simul, conjuncti quidem in lucris atque furtis, consortes et simillimi nequitia, improbitate, audacia ; qui cum ad aliquem venirent, eum vi, malo, plagis adducebant, ut bonorum daret, non quantum vellet aut haberet, sed quantum cogeretur. His tandem hoc opponitur[4] : Quotiescumque in posterum, nomine regis, reginae, vel eorum

1. *Rot. Parl.*, t. II, p. 62.

2. *Stat.* 5 *Edw. III*, cap. II, p. 266. Al honor et profit de notre seignor le roi, et pur pees et quiete de son poeple, et pur refrener et punir la malveiste de ceux, qi tielx outrages ont faitz, en esclaundre du Roi, la Roigne sa compaigne, et de lour enfantz, accorde est, et establi, qe les prises et purveances, se facent pur les ditz Hostelx, par pris fait, par conestables et quatre prudeshommes.... jurrez, et santz manace....

3. *Stat.* 36 *Edw. III*, cap. 2 : for the grievous complaint which hath been made of purveyors of victuals, of the House of the King, of the Queen, their eldest Son, and of other Lords, and Ladies of the Realm, the King of his own Will, without motion of the Great men or Commons, hath granted and ordained, in ease of his people, that from henceforth, no man, of the said Realm, shall have any Taking, but only Himself, and the Queen his Companion.

4. *Rot. Parl.*, t. II, p. 258 : qe les purveances ne soient faites en malicíouse manere desoreenavant; come, apres purveance faite a la meson d'un homme, par un purveour de l'Hostel ma Dame la Roine, et ferra purveaunce en meisme le lieu, et apres un purveour de l'Hostel Monseignur le Prince en meisme le lieu : quele manere de prise est trop grevouse au poeple. A, §§ 9, 17 ; — *Rot. Parl.* t. II, p. 169. — *Stat. V*, 25 *Edw. III*, cap. I.

primogeniti, exigentur frumentum, avena, foenum, oves, boves, vaccae, gallinae, quotiescumque res quaevis a procuratoribus capietur, justo constituto pretio[1], coram constabulario et certis quibusdam probis hominibus[2], emetur. Procuratores autem eis a quibus res aliquas exegerint tallias dabunt[3] quibus illi, pecuniam debitam expostulare valeant.

Cum autem plurimi jam perferre non possent « garcionum » cupiditatem, crudelitatem, audaciam, cum omnia sua bona, eorum scelere ac libidine perderent ; hoc statuit rex, ut deinceps munus providendi victualia « magnis equis » non garcionibus, sed vicecomitibus in unoquoque comitatu incumberet[4].

Nobis igitur statuta regni regis Edwardi III pervolventibus, tot apparent esse in procurationibus peccato-

1. *Stat. V*, 25 *Edw.*, *III* cap. 1 : que touz blez, feyns, bestaill... et touz autres vitailles et choses quecunqes queles sont aprendre par meismes les hosteux, soient prisez a la vroie value par les conestables, et autres bons gentz des villes... sans que par manaces, ou durexes soient les preisours chacez a mettre autre pris que lour serment ne voet...

3. *Ibid.* : Qe entre les purveours, et ceux, des queux les biens seront prises, en la presence des conestables et preisours, soient tailles tantôt faites... par lesqueles tailles, gre soit fait, a ceux des queux les choses seront issint prises.

4. A § 26, et passim. — W. Stubbs, *op. cit.*, t. II, p. 553. Plurimi « compoti de custodia magnorum equorum domini regis Edwardi III » exstant Londini, in *Public Record office : Exchequer Queen's Remembrancer's miscellanea.* Bundles 356/48 — 364/30. — *Stat. II*, 10 *Edw. III*, cap. 2, p. 277. — *Stat.* 36 *Edw. III*, cap. 5, p. 373. — *Rot. Parl.*, t. II, p. 167... qe come nadgers, ordeine et assentuz fuist, par nostre seignur le Roi et son Conseil, qe les gentz et chivaux de l'hostel nostre dit seignur, ne deussent estre hebergez en pais, nulle parte, sinoun, par bille du mareschall de l'Hostel le Roi, et q'ils liverassent lour billes, as conestables des villes, et par lui, deussent estre hebergees, et il lour ferrait avoir sustenance, pur eaux, et pur lour chivaux... (Responsio) Il plest a nostre seignur le Roi, qe ceste article et les pointz en ycel comprises soient tenuz et gardez en touz pointz. — Id., pp. 169, 229, 270.

rum gradus, ut si singulis insistere velimus, progredi vix jam aegre possimus. Erant nimirum emptores, qui cupiditate majoris quaestus allecti, oves, tempore medio inter festa Pascalia et festum sancti Johannis Baptistae (die 24° Junii), requirerent, ea scilicet mente, ut oves lanatas atque intonsas possiderent; tonsurae vero fructus, ignorante rege, in rem suam converterent. Quae cum manifesta res, tum flagitiosa procuratorum atque insignis aviditas teneretur, statuere coepit rex, ut hujusmodi exactorum injurias, quas modo posset, rescinderet et irritas faceret[1].

Aliud autem erat procuratorum facinus nobile, et in multis locis Rotulorum Parliamenti saepe commemoratum, et hujusmodi ut in eo multa maleficia inesse viderentur. Nonnulli nempe, prisarum nomine, arbores pulcherrimas, frondibusque ornatissimas circa domos crescentes, caedi jubebant. Hinc angebantur animi dolore possessores, quod fundum patrium, quondam exornatum atque instructum, fere jam exactores reddidissent nudum atque inanem[1].

1. *Rot. Parl.*, t. II, p. 241 : Item pur ceo qe les achatours des prises, prenont berbitz del people, par entre la Pask et la Fest de Seint Johan, ove les Leines, et les font preiser a mesme pris ; et puis les mandont a lour mesons demesne, et les font tondre, a lour profit demesne, en deceit notre seignor le Roi, et grant oppresion du people : Prie la Commune qe celui qi soit atteint de tiel fait, soit ajugge come laroun. — Le Roi voet, qe tieux purveours ne preignent nulles berbitz, avaunt le seison de tondesoum, fors qe atantz, qe purront suffire resonablement pur le temps a venir. Et si nul purveour du Roialme, face a l'encountre, et de ceo, soit atteint a la sente le Roi ou de partie, soit fait de lui, come de laron ou de robbour ; et soit la peine contenue en chescune commission des tieux purveours. *Stat. V*, 25 *Edw. III*, cap. 15, t. I, p. 322.

2. *Rot. Parl.*, t. II, p. 239 : qe nuls pernours de buche, ne de maeryn pur l'ostiel notre seignor le Roi, ne pur autres overeignes, coupe, ne

Quibus de sceleribus cum rex Edwardus, tandem sibi magnopere providendum esse existimaret ; quippe quod pertineret ad optimi cujusque tranquillitatem, et ad pacis publicae stabilitatem, operam aliquam dedit ut manifesti rei, pro damno illato, triplum pretium solverent, et insuper, in carcerem per unum annum conjicerentur, ac tandem ex officio suo prorsus amoverentur.

Perrexit autem Edwardus, atque insecutus est longius. Et quoniam de injuriis procurationum vitandis aliquando curabat, ne illud quidem genus prisarum sibi praetermittendum esse putavit, quas ex omnibus navibus vino onustis, antiquo jure, detrahebat. Praecepit ergo ut regiae domus senescallus certo modo definiret quantum vini pro rege, in unoquoque portu, procuratores exigere deberent[1].

Cum autem in omni genere audaciae, multo saepe impudentius, in possessionibus ecclesiarum et monasterio-

abate, nulli arbres cressantz entur nulli mansions, come a derrein Parlement fut ordeine, einz, que le dit Estatut, soit ore rehercee, et fermement tenuz. *Ibid.*, p. 230. — *Stat. V*, 25 *Edw. III*, cap. 6, p. 231. Auxint acorde est et assentu, qe nul pernour de buche ou de maerisme, al oeps notre seignur le Roi ; por overeyns, ne por autres choses faire, ne coupe, ne abate, les arbres de nully, cressantz entour, ou dedeinz sa mansion ; et si nul face au contraire, face gre a la partie du damage au treble, et eit la prisone dun an, et soit fortjugge de son office. *Id.*, cap. 15, p. 322.

1. *Rot. Parl.*, t. II, p. 242. — *Stat. V*, 25 *Edw. III*, cap. 21, p. 323 : Les Botillers notre seignur le Roi, et lours deputez, soleient prendre, et prenent de jour en autre, moult plus des vyns, par colour de lour office, al oeps nostre seignur le Roi, qil ne besoigneroit, des queux les plus feibles, ils delivrent al oeps nostre seignur le Roi, et les meillours en grant nombre, ils retiegnent devers eux, a vendre, et à faire ent, lour profitz... si est acorde et establi, qe le seneschal del Hostiel le Roi, et le Tresorer de la Garderobe, mandent as touz les portz Dengleterre, la ou vyns sont a prendre, al oeps le Roi, le certein nombre, qe le Botiller prendra, en chescun port. — *Stat.* 43 *Edw. III*, cap. 3, p. 392.

rum diripiendis, exactores versati essent ; statuit rex, ne quis procurator, in posterum, ab ulla ecclesia, nec ullo monasterio, frumentum, fenum, avenam, jumenta capere auderet, nisi tamen litteras minore aut majore sigillo notatas accepisset [1].

Quorum statutorum omnium, duo praesertim digna sunt quae animadvertantur, utpote quae majoris momenti, quam quaevis alia fuisse videantur ; praeterea, ex communi scriptorum opinione, libellus Simonis Islip partim saltem causa fuit cur Edwardus ea promulgaret.

Horum igitur unum, vigesimum quintum annum regnante Edwardo III, die festo sancti Hilarii prolatum est [2]. Quod, cum multas injurias consuetudinesque pessimas concuteret, illud praesertim prohibebat, quominus procuratores regii, in emendis victualibus, iniqua mensura uterentur, ita ut non globosa esset superficies frumenti in illa contenti, sed prorsus plana.

Alterum vero statutum anno trigesimo sexto regni est edictum [3]. Tanto erat in odio apud omnes vel nomen etiam procuratoris, ut jusserit rex illud in alterum converti, ac deinceps *emptores* vocati sunt. Iisdem ordina-

1. *Rot. Parl.*, t. II, pp. 119, 152, 245. — *Stat. III*, 15 *Edw. III*, cap. 6, p. 298. — *Stat. III*, 18 *Edw. III*, cap. 4, p. 303 : Qe lestatut, touchantz les purveances de nostre, et de noz, fitz en temps passez, par nos et par noz progenitours, pur gentz de seinte Eglise, seient tenuz en touz pointz ; et qen les commissions a faire sur tieux purveances, soient forspris les fees de seint eglise, et biens des gentz de seint eglise, en quecumqe lieu qils soient trovez.

2. *Rot. Parl.*, t. II, p. 240. — *Stat. V*, 25 *Edw. III*, cap. 1 : Si est accorde et assentuz en ledit Parlement qe les preneurs et porveours des blez por les ditz hosteux les preignent par mesure rase, selonc ceo qe homme use parmy le Roialme. — Cf. etiam, *Stat.* 4 *Edw. III*, cap. 3.

3. *Stat. I*, 36, *Edw. III*, cap. 2, p. 371. Le heignous noun de purveour soit chaunge et nome Achatour. Cf. etiam *Rot. Parl.* t. II, p. 269.

tionibus alia praecipiuntur, ad vexationum emendationem, et ea sane majoris efficaciae quam mera nominis mutatio.

Duo nempe viri graves[1], prudentia ornatissimi, ex singulis comitatibus, una cum aliquo ex melioribus ministris regiae domus, munus accipiunt inquirendi qua ratione se gerant emptores, et audiendi, summa cum diligentia quid de illis fama et hominum sermone referatur. Praeterea, regis thesaurarius custos rationes accuratissimas conficiet, quibus notum sit quanta fuerit, singulis annis, regiae domus expensa.

Jamvero Edwardus, qui usque ad id tempus quibusvis querentibus fere nihil aliud respondere consuevisset, nisi illud tritum « *de hac re statuetur* », cessit aliquando, monitionibus Simonis Islip. Quod, nisi tam magnum beneficium fuisse fateamur, ut id ne Parliamenti quidem tot ac tantae querimoniae non obtinuissent, injusti profecto essemus. Sed tamen opus erat solummodo inchoatum, minime vero perfectum[2].

1. *Stat.* I 36 *Edw. III*, cap. 4 : Pur restreindre la malice des achatours des vitailles, et prenours des cariages, soient commissions faites, as deux bones gentz, et loialx, de chescun countee, et le tierce soit del hostel le Roi... qe si aucun de trois ne veigne, que les deux, aillent avant, denquere du port et faitz les ditz prenours ont pris severalment de chescun ville, villee, ou singuliere persones.

2. Itaque non possumus in eamdem sententiam descendere atque auctor carminis hujus :

> Tam pius [Edwardus III] in plebem, quod serenissimus aequi
> Edidit edictum durandum, dulce statutum,
> Ejus in economos, populum prius excoriantes,
> Quod provisores annonae regis in aulam,
> Non animalia, sed nec oves, nec aves, nec avenas,
> Perciperent de pauperibus, viduisve micellis
> Sed de divitibus, digno pretio comitante.

Quid enim? Provisores ipsius etiam viventis Edwardi III statuta non coluerunt; immo saepe contempserunt. Quemadmodum enim sint vexati pauperes simul et divites, ex multis actis publicis certo constat. Querebantur cum luctu et gemitu aratores ; rex id fere nesciebat. Fremebat tota « communitas regni » ; fere nemo id regi renuntiabat. In comitatibus plurimis querimoniae de provisorum perpetuis injuriis habebantur ; id rex fere ignorabat[1].

Quae sane cum ita essent, cum procurationum jura a regibus et regni principibus retinerentur, ex eis eadem fere mala orta sunt, et in eorum maleficia eadem, irrita quidem decreta, sunt prolata. Nempe, Ricardus II, ut luctuosis querelis adversus emptorum audaciam et iniquitatem palam expromptis, morem aliquo modo gerere videatur, jubet Magnam Cartam, cartam de Foresta, omnes denique bonas leges servari, diligenterque stabiliri, eo tamen modo, ut nihil inde damni propria regiae majestatis jura patiantur[2].

Confusam curam, primus, projecit eorum,
Qui plures proprias perdebant quolibet anno
Depopulando domos, depascebant sata cuncta,
Horrea frangeutes, sua firmabant bona regni.

Political Poems and songs (Th. Wright, t. I, p. 222). Re quidem ipsa constat, Edwardum non edidisse « statutum durandum ».

1. *Rot. Parl.*, t. II, 351 50 Edw. III. (Le roi jadis et ses ancetres avaient ordinairement leurs equipages), c'est a savoir chivalx, charettes et chariots, pour servir leur hotel... Et ore les purveours de l'Hostel nostre dit seignur le Roi, pur défaut de sa propre cariage, et de bone governance, prenont chivalx, charietz et charettes des povres communes, la environ par x leukes ou le Roi tient son Hostel, si bien des gentz de loigne pays par IIII leukes ou LX, passantz par la chymyne, come des gentz demurantz en mesme le pays, en grande arrerissement et poverissement des ditz communes. (*Responsio*) Le Roi ne sciet mye qe tielles choses soient faites ; mais si einsi soit... redresse y serra covenablement fait.

2. *Stat.* 2 *Ric. II*, cap. 1.

In eodem Parliamenti concilio in quo haec decreta sunt, praeterea emptoribus interdictum est ne, disciplinarum antiquarum immemores, vehicula, equos, frumenta, ceteraque, dominis invitis, sibi assumerent. At, re quidem vera, vanam et inutilem hanc cautionem rapinis et vexationibus adhibitam esse comperimus. Quod ita perspicuum est, ut quicumque interrogaverit acta publica rotulosque Parliamenti id negare non possit.

Quin immo, regnante rege Henrico VI, alius quoque invasit abusus, in illas procurationum injurias, qui fere vinceret priora facinora. Non enim emptores tantum, inducto nomine juris, fraudem colebant, sed etiam illi qui cauponas et diversoria tenebant, commendaticiis litteris, ut regis opera negotiaque procurarent impetratis, usi sunt ad propriam suam utilitatem; vehicula et equos requirebant, apud se servabant, et reddere recusabant, nisi a possessoribus ipsis inique pretium furti accepissent. Quibus tandem sceleribus Henricus VI finem imponi jussit, anno regni vigesimo octavo [1].

Annorum quidem decursu, cum nonnulli comitatus pecuniam pro rebus emptis debitam difficile obtinerent, propter emptorum regiorum avaritiam, et multitudinem officinarum, formularum et rituum, ab Elizabetha, quartum annum regnante, petierunt, ut hujusmodi vectigalibus liberarentur, et eorum loco nummos solverent. Quod cum primo recusasset, postea vero concessit regina, ea nimirum conditione, ut tributum annuum singulis comitatibus imponeretur, ratione habita fructuum omnium, ab unoquoque antea debitorum.

1. *Stat.* 28 *Henrici VI*, cap. 2.

At procuratorum immensa cupiditas non ideo imminuta est; itaque, eadem regina trigesimum secundum annum regnante, necesse fuit laqueo suspendi collectorem quemdam nomine Nicholls, cum is argueretur procurationes exercuisse, adhibita vi et fraude, nullo soluto pretio, et manifesto scelere convictus esset.

Quamvis regnantibus Jacobo I et Carolo I, plurimis aliis decretis improbatae, plurimis modis vindicatae sunt emptorum iniquitates; tamen non prius plane fuerunt rescissae, quam Carolus II sententiae quondam a Simone Islip propositae firmiter adhaerens, jus omne procurationum et prisarum radicitus evulsit[1].

1. *Stat.* 12 *Car. II*, cap. 24, t. V, p. 261.

CAPUT IV.

DE PROCURATIONIBUS IN GALLIA SAECULO XIV.

Est locus quidam, in libello Simonis Islip, cujus, ni fallor, totam vim verumque sensum perspicere non adeo est facile, et qui nobis mirationem et dubitationem injicit : Edwardum III hortatur Simon, ut in bene regenda cum familia regia, tum natione ipsa, adversarium imitetur, nempe Philippum VI : « *Vide, dominum Francie, quanto moderamine, quam sapienter, quam sagaciter facit expensas sue domus. Et ex quo ipse facit sapienter consulo quod tu facias similiter*[1] ».

Utrum regis nostri laudes ideo Islip extollat, quoniam nullas ibi fieri injurias in requirendis vectigalibus pro certo habeat, an quia tantum in animo habet ut denique velit Edwardus omnibus nervis contendere, et in hoc laborare, ut non solum armis sed etiam justitia et aequitate Philippum superet, illud profecto difficile dignoscitur ; nec ceterum tanti nostra interest.

Atque utinam valuisset exemplum ; sed infirmum erat et inopportunum. Florebant enim in Gallia procurationes, regnantibus Philippo VI et ejusdem stirpis principibus ; quinetiam, veluti omni memoria, procurationes, apud nostros floruisse satis constat[2].

1. B § XLI.

2. *Jus mansionaticum*, ait Cangius, sub prima et secunda regum nostrorum stirpe ; sub tertia vero *gistum*, *procuratio*, *coenaticum*,

Dubium non est, quin istae procurationes et prisae, et tot aliae cogendae pecuniae rationes causa gravissimarum vexationum in Gallia fuerint. Si, sponte sua, moderata vectigalia, paucos nummos, nostri patres regiis exactoribus solverent; quid tandem sibi volunt illae querimoniae, illae petitiones, illae conquestiones? Sin autem, metu ac necessitate coacti, res suas tradiderunt, confiteamur necesse est procurationum perniciem, ut in Angliam, ita in Galliam pervasisse.

Quod sane testantur acta publica. Die enim 14° Aprilis 1343[1], vetat rex prisam ab eo exerceri, qui non a rege, aut ab ejus camerario, licentiam acceperit, atque quaevis antiqua de prisis faciendis praecepta observari jubet. Injurias autem et fraudes nihilominus permansisse, hoc ipso probatur quod, ubi a rege rerum angustia presso, convocati sunt ad concilium « legati Trium Ordinum » petierunt statim ut tolleretur, aut saltem attenuaretur jus prisarum, nec passi sunt vectigalia toti nationi imponi, nisi ea conditione, ut praedictarum injuriarum emendationem ipsi prosecuti essent. In statutis quae anno 1346, die 15° Februarii[2] tulit Philippus VI, etsi « gabellam salis » stabilivit et confirmavit, articulo tamen quarto,

comestio, *pastus*, *prandium*, dictum suis locis observamus. — *Herbergagium*, ait idem auctor, erat jus gisti ac procurationis. — *Mansio* et *paratae* in hoc differebant, quod una significat jus comedendi tantum, bibendi et dormiendi in aliena domo; altera, jus alias etiam res capiendi; *mansionarius* dicebatur, minister ille qui comparabat regi iter facienti domicilium. Cf. Luchaire, *Histoire des institutions monarchiques de la France sous les premiers Capétiens*, t. I, p. 107 et sqq. — P. Viollet, *Droit public*, t. I, p. 327. — Flach, *Les Origines de l'ancienne France. Le régime seigneurial*, t. I, pp. 347-351. — Brussel, *De l'usage des fiefs*, t. II, p. 536 et sqq.

3. *Ordonnances du Louvre*, t. II, p. 73.

4. *Ordonnances du Louvre*, t. II, p. 238.

auditis, ut ait, gravissimis, nomine totius populi, delatis querelis, declaravit se prohibere quominus legatos, constabularios, marescallos, navium praefectos, principes, barones, equites, caperent equos, carectas, frumentum, avenam, vinum et alia. Statuebat insuper, ut si quivis eorum, quicquam aut caperent, non soluto justo pretio, aut ab alienis possessoribus aliquid eriperent, non tantum ea servare non possent, sed etiam ad urbis, aut proximi pagi tribunal vocarentur. Idem statutum ferebat, ut iis solis, qui ad regis negotia peragenda mitterentur, si equos non invenissent quos conducerent, eos exigere liceret a cujusvis loci incolis, ea tamen lege ut id non proprio nomine, propriaque auctoritate perficerent, sed adhibita voluntate et auctoritate quorumdam judicum, ejusdem loci.

Post cladem apud Cressiacum acceptam, cum legatos Philippus in provincias mitteret, qui milites conducendos, et omni apparatu instruendos curarent, edixit, rogatu sane populi a quo subsidia obtinere cupiebat, ut nemini, pacis tempore, nisi regi, reginae, eorumque liberis, prisas exigere liceret[1].

Exeunte quidem anno 1355, die 28° Decembris[2], iterum prohibetur quasvis prisas quovis modo tollere. Attamen, quando rex, regina, dux Normanniae iter facient, dispensatores suos praemittere poterunt, qui coram testibus probatissimis, cujusvis civitatis aut pagi scamna, tabulas, lectos, pulvinos, foenum, paleam, vehicula requirant. Has autem regulas, observabunt dili-

1. *Ordonnances du Louvre*, t. II, pp. 262, 318, 391, 400, 411, 503, 529, 567, etc.
2. *Ibid.*, t. III, p. 19.

genter illi ministri ; nempe, ut unum tantum diem jure prisarum utantur, ut ab illo se abstineant intra muros urbium, ut pro rebus captis debitum pretium, ipso die emptionis, aut die sequente, solvant. Quod si intra hos temporis limites pecunia data non fuerit, licebit incolis, vi adhibita, res suas reposcere, et emptores regios in judicium adducere. Regni optimatibus, si qui haec alicubi mandata violaverint, omnes resistant, tanquam furibus, aut, si minus armis et hominum numero valent quam ut possint vim vi repellere, a proximis civitatibus auxilia requirant, vicinosque clamoribus, aut aliqua alia ratione « praeter campanarum sonitum » moneant, et in unum cogant. Quapropter, si quis aliquid rapere tentaverit in judicium adducetur, aut quod peculiaria regni jura laeserit, et ideo summam pecuniae duplo majorem solvere cogetur, aut quod jus commune gentium offenderit, et ideo constitutam in fures poenam pendet.

Quicumque ergo aliquem in hujusmodi prisis injuste exigendis deprehenderit, potestatem eo ipso habebit illum manifestum reum ad proximum carcerem trahendi. Jurejurando pollicebitur regis procurator se, quotiescumque aliquid contra supra dicta mandata commissum fuisse cognoverit, etiamsi ille qui injuriam acceperit non queratur, actionem constituturum esse. Atqui admodum raro, si unquam antea, regis procurator sponte aliquem in judicium vocaverat, et accusatoris partes officiaque susceperat. Illa ergo fere prima sunt vestigia muneris illius cui nomen est hodie « *publicum ministerium*[1] ».

Atque, ut intelligamus quantum odii excitaverint procu-

1. Picot, *Histoire des Etats-Généraux*, t. II, p. 128.

rationes et prisae, id unum attendamus : in omnibus fere conciliis hujuscemodi trium ordinum, quae post annum 1356 habita sunt, hunc eumdem pristinum morem procurationum, summa acrimonia vituperatum, et communi omnium consensu reprobatum esse[1].

Quid ergo ? Tenentur etiam reges nostri, et in vexationibus, cogendae pecuniae causa, tum magnis, tum manifestis tenentur. Atque in maximas quidem prisarum injurias nobis videtur Philippus VI incidisse, ita ut, quamvis moderatior et humanior Edwardo III, tamen eum vix, ut videtur, parcimoniam docere potuerit.

1. *Ordonnances du Louvre*, t. III, pp. 121, 122, 219, 433, 535, 646; t. IV, pp. 187, 589, 690 ; t. V, p. 83 ; t. VI, pp. 68, 164, 363, etc.

LIBER IV.

PRAECIPUI FONTES LIBELLI SIMONIS ISLIP. — EJUS SCRIBENDI RATIO.

Magnum sane quoddam erat onus atque munus scribere tractatum ad regem Edwardum III « de mala regni administratione », et « de arte gubernandi secundum justitiam » ; novum autem non erat illud scribendi genus, nec plane inauditum. Quod igitur cum susciperet Simon, usurpare poterat illud Hugonis de Sancta Maria, monachi Floriacensis, dicentis in prologo tractatus « de regia dignitate ad Henricum regem Anglorum » : Sequor antiquorum virorum vestigia, qui sua studia olim regibus praesentabant[1].

Conspersus quidem est libellus illorum antiquorum virorum sententiis; non sunt illae quidem aequabiliter fusae per omnem sermonem, sed ita distinctae ut sint dispositae quasi quaedam insignia lumina.

Jamvero, quaenam sunt ista multorum exempla, ex vetere memoria, et monumentis ac litteris, plena dignitatis, plena antiquitatis ? Haec sane, quantum suspicari possumus, ab octavo saeculo in finem vergente repetenda sunt[2]. Fontes autem cum Islip cognosceret, ex eis hausit quae ad ejus propositum aptiora potioraque videbantur.

1. *P. L.*, t. CLXIII, p. 940.
2. Hi praecipui auctores jure nominentur : Smaragdus, abbas Sancti Michaelis ad Mosam, *Via Regia*, ad Regem Ludovicum Pium,

Procul dubio imbutus erat eadem doctrina eademque disciplina atque antiqui viri, quorum auctoritate nitebatur, quorum sententias et ipsa verba usurpabat, ut in ejus mente quem exhortabatur quasi aculeos quosdam relinqueret. Ex illis habebat ejus sermo ut non esset inanis, jejunus, et exilis, sed polleret quasi colore quodam et succo suo, ut gravis, ut lenis, ut concitatus, ut vehemens

P. L., t. CII, p. 934. — Jonas, Aurelianensis episcopus, *De institutione regia*, ad Pippinum regem, *P. L.*, t. CVI, p. 117. — S. Agobardus, Lugdunensis episcopus, *De comparatione regiminis ecclesiastici et politici*, *P. L.*, t. CIV, p. 291. — Julius Scotus, junior, *Liber de rectoribus christianis, et convenientibus regulis, quibus est res publica rite gubernanda*, ad Carolum Magnum vel Ludovicum Pium, *P. L.*, t. CIII, p. 294. — Hincmarus, Rhemensis archiepiscopus, *De regis persona, et regio ministerio*, ad Carolum Calvum, *P. L.*, t. CXXV, p. 833; *Novi regis instructio, ad rectam regni administrationem*, ad Ludovicum Balbum, *P. L*, t. CXXV, p. 840; *De ordine Palatii* (M. Prou, *Bibliothèque de l'Ecole des Hautes Etudes*, 58ᵉ fascicule, 1885). — Hugo de Sancta Maria, monachus Floriacensis, *Tractatus de regia potestate et sacerdotali dignitate*, *P. L.*, t. CLXIII, p. 791. — Petrus Lombardus, magister Sententiarum, *Sententiarum*, lib. II; *Distinct.*, XLIV, art. 3, *de obedientia*, *P. L.*, t. CXCI, p. 757. — S. Bernardus, *Liber de Consideratione; Epistolae variae ad Conradum regem*. *P. L.*, t. CLXXX. — Johannes Saresberiensis Carnotensis episcopus, *Polycraticus, sive de nugis curialium et vestigiis philosophorum*, *P. L.*, t. CXCIX, p. 185. — S. Thomas, *de regimine principum*. — Aegidius Romanus, Bituricensis archiepiscopus. *De regimine principum*, libri tres, *Hist. Litt.*, t. XXX. — Geraldus Cambrensis, *De principis institutione*. Julius B, XIII (in Musaeo Britannico). *Edinburg Review*, t. VIII, p. 390; *Dublin Review*, t. XXVIII, p. 111. — Helinandus monachus Cisterciensis. *P. L.*, t. CCXII, p. 477. — Rogerus Waltham, cit. apud C. L. Kingsford, *Carmen de bello Lewensi*, p. 136, in *Bodleiana Bibl. Laud.* 616. — Alexander Halensis, *Summa Theologiae*, q. XLVIII, m. I, art. II, edit. 1622. — Joannes Wallensis, *Summa collationum*. Venetiis, 1496. Cf. C.-L. Kingsford, *op. cit.*, p. 143. — Praeterea, ex epistola quadam Adami de Marisco constat Robertum Grossetête scripsisse opusculum quoddam de Arte gubernandi, nam Adamus ei dicit: « Remitto Dominationi Vestrae abbreviationem illam, quam scripsistis de principatu regni et tyrannidis, sicut misistis signatam signo comitis Leycestriae » (Ep. XXV, *Monumenta Franciscana, Rolls series*, *p.* 110).

esset, ut dolores, sensus, minas, querimonias haberet, quantum opus esset, id est, non ubique, et in singulis articulis, sed in toto quidem corpore. Jam illa non longam orationem desiderant, quamobrem existimemus magnam esse similitudinem inter Simonem Islip et antiquos illos viros, qui « sua studia regibus olim praesentabant ».

Facile nimirum intellectu est, inquit ille, quale sit officium regium, qualis regia dignitas, cujus vis innata, nomine ipso significatur. « Rex enim dicitur, qui regit populum sapienter, rempublicam utiliter, et seipsum innocenter[1] ». Jamvero, ex officiis erga Deum, tanquam e fonte, cetera regis officia deducenda esse censet. Quid est causae cur rex optimus justitiam servet, prudentiam in largitionibus, moderationem in sumptibus adhibeat, nisi quia Deum reveretur atque diligit? Amat enim Deum, si in hoc imitatur Illum « ut velit omnibus prodesse et nulli nocere[2] ».

Nihil autem potius rex habere debet, quam ut justitiae amore, defensione, et veneratione diligentissima, honorem Deo, sibi vero totius populi amorem conciliet, cujus nimirum obtinendi causa nullum laborem, nullum conatum detrectare velit. Quod ut prosequatur, eo virtutis venire debet, ut propriam utilitatem libenter negligat, commune autem bonum omnibus viis quantumvis arduis consectetur[3]. Si quando contingat ut inter pauperem et divitem lis exoriatur, illi potius rex faveat, quam huic, donec fiat res plane manifesta[4]. Non est profecto,

1. A § 16,
2. A § 1.
3. A § 16.
4. B § XXXII.

cur rex a donis se abstineat, sed eis tantum hominibus illa largiatur, qui beneficiis digni sint : « qui largitur enim dona sua non indigentibus vel indignis, nullam adquirit sibi laudem[1] ».

Quaenam sunt rationes quibus moveatur oportet Edwardus, ut suo munere regio recte fungatur? Primum, si jus aliquo modo violaret, ingrato animo sane se praeberet in Deum, cum ab Eo tot ac tanta beneficia acceperit[2].

Quod si beneficiorum memoria decursu temporis friguit; saltem ne poenarum timor oblivione langueat, « nihil enim certius morte, nihil incertius hora mortis[3] ». « Ubi sunt profecto, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora... erant? Nihil ex eis remansit nisi cineres et vermes[4] ».

Sed, ut integre suas partes sustineat, ut ostendat se dignum suo nomine, rex non debet tantummodo cordi habere ut viam suam optime moderetur, sed etiam ut ministros suos instruat, dirigat, adjuvet, corrigat[5]. Cum autem nequeat personam et partes quas suscepit accuratissime peragere, quin aliorum auxilio juvetur, debet ad se vocare sibi comites et amicos adjungere, viros, ea prudentia, ea magnitudine animi praeditos, qui in difficillimis rerum eventibus regem suis consiliis moneant, eique diligentem opem conferant[6]. Quid plura? Nonne haec omnia antiquorum virorum praecepta redo-

1. B § XIII.
2. A § 2. B § I.
3. B § I.
4. A § 43.
5. A § 1.
6. A § 47. B § XXIII.

lent ?[1] Nonne, sive de officio regis loquatur, sive preces, sive minas adhibeat, ex hisce antiquis fontibus vim sermonis deducit ? Sunt autem quaedam, omnino in « Speculo » singularia, quae in nullo alio ex antiquis hujuscemodi tractatibus inveniri, nec eis convenire possint.

Etenim certum determinatumque finem Simon prosequitur ; nec enim suscipit docendos reges quoslibet omnem artem gubernandi, sed in animo habet adducere regem Edwardum III, ad tollendum procurationum et prisarum « praerogativum ». Quapropter, illi quidem antiqui auctores regum singula officia ordinata ratione pervolvunt, diligenter explicant et illustrant, ut mos est magistrorum et philosophorum ; at ille profecto nullum fere certum ordinem servat ; praecepta regibus imposita, quantum ad suam causam stabiliendam atque augendam satis est, commemorat, et ita plerumque enumerat ut de illis disputare nolit. Ad propositum suum finem, obtinendi ab Edwardo, ut procurationes tollat, summa contentione, omnibus veluti nervis connititur, ex qua commotione animi, aliquid influit in totum opus. Ut enim regem concitet, pauperum miseriam affingit, non affirmat tantum multos dolores a populo ferri, sed agricolas ostendit, qui cum ad nundinas se conferunt bobus, equis, ovibus, frumento spoliantur ; mulierem, quae cum unam gallinam habet, eam regiis ministris tradere cogitur ; mox, dum rex, ejusque familiares, comedunt, bibunt, gaudent et laetantur, mulier tabescit et fame conficitur. Nonne, quosdam alios auctores, Simonis Islip fere coaevos, tibi audire videris ? Qui cum omnia in regno Galliae per-

1. Cf. infra textum Speculi, cum notis.

perturbari ac misceri viderent, majestatem regiam tenuem, principes captivos abduci, aut in exilium ejici, aut a suis contemni, populum miseriis, rerum omnium angustia, vexationibus, direptionibus, luctu, squalore confectum, cum meminissent aliquot homines, jam anno 1357, novis rebus studuisse, in his vel asperitatibus rerum, vel difficultatibus temporis, quasdam adhibuerunt dicendi faces, ut vehementissime profiterentur quid esset in rebus agendis atque gubernandis, agendum aut tollendum, quanta rerum omnium inopia plebs affligeretur, quibus rationibus sublevari posset; nec jam dictitaverunt rectissima, nationique utilissima esse quaecumque essent a rege constituta atque decreta. Inter quos, primum locum facile tenent Alanus Chartier, Eustachius Deschamps, qui de ratione vivendi in aula regia, de injuriis a divitibus, nobilibusque viris commissis, acerrima dicendi vehementia loquuntur.

Jamvero, fueritne Simon Islip is, qui facta quae exponebat certo sciret et sine fuco depingeret? Satis, ut opinor, certum exploratumque est ex ejus vitae dignitate, quantam auctoritatem et gravitatem sibi vindicet illius viri testimonium[1].

Quid enim? Cum in maximis rebus agendis versaretur, multa audivit, multa suismetipsis oculis vidit. Praeterea, cum majoribus, et magistratibus, et legatis, saepe conversabatur, quippe qui rege amico et quasi familiari uteretur. Etenim haec Edwardo scribere ausus est: « Si tu scires, quod ego scio[2] ».

1. Cf. supra Lib. I, cap. 1.
2. A § 41.

Ea igitur, quae in suo tractatu narrat, cum ad veritatis normam perpendere potuerit, si falsa protulit, consulto in errorem homines induxisse existimandus est. At, quid erat causae, cur sic egisset? Non ideo jura procurationum impugnavit, quod inimicitia motus fuerit in regem, quem amabat, a quo multa et maxima beneficia acceperat; sed quia procurationes et prisas cum populi, tum regis bono atque utilitati nocere intelligebat.

Nec dicatur, Simonem, rectum quidem virum, sed neque sapientem, neque sui compotem fuisse, ac propterea in suo libello de multis rebus indignari potuisse, quae revera non fuerint reprehendendae. Coaevorum enim et plerorumque auctorum testimonio, singulari animi robore, et severitate indulgentia condita, praeditus erat. Nimirum, non omni virtutum genere excelluit, sed voluntatem exhibuit firmam, judiciumque valde rectum. Haec autem ejusmodi sunt ut fidem dicenti merito concilient. Proin eum ipsum jam audiamus loquentem ad Edwardum III in gratiam oppressae nationis.

SPECULUM REGIS

AUCTORE SIMONE ISLIP[1]

I. RECENSIO A

[Ex Codice Digbiensi 172, fol. 134v — 141r]

1. In recensione variantium lectionum hisce signis notamus codices, quibus usi sumus.

D. = Digbiensis	A. = Addititius
C. = Cantabrigiensis	B. = Bodleianus
Cl. = Cleopatra	R. = Rawlinsonianus
F. = Faustina	Ha = Harleianus 2399
V. R. = Vetus Regius	Hb = Harleianus 6237

SPECULUM REGIS

AUCTORE SIMONE ISLIP

I. RECENSIO A

[Ex codice Digbiensi 172, fol. 134v — 141r]

[SIMONIS ISLIP ARCHIEPIS. CANTUAR.]

ADMONITIO AD REGEM EDWARDUM III, SIVE SPECULUM REGIS

1. Domine, mi rex, ex quo respublica tibi committitur guber[n]anda, debes multis modis et viis cogitare qualiter melius et discrecius de ea poteris ordinare ad honorem Dei et utilitatem regni, et etiam ad amorem populi adquirendum. Ad hoc autem faciendum, viam tibi trado, videlicet ut unicuique facias justiciam. Et est justicia[1] reddere unicuique quod suum est. Justicia enim nichil vendicat alienum, que cuilibet dat quod suum est, que negligit propriam utilitatem ut servet communem equitatem[2]. Et secundum hoc, primum justicia est in Deum; 2° in patriam; 3° in parentes; 4° in omnes, secundum beatum Ambrosium[a]. Item, justicia regis, est pax populorum, defensio patrie, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languidorum, gaudium omnium, solacium pauperum, hereditas filiorum et sibimetipsi spes future beatitudinis, et bellum cum viciis, ut dicit Cyprianus[b]. Item, qui facit justiciam diligitur a Deo, unde psalmista: *Dominus diligit justos*[c]. Et justicia non novit patrem nec matrem, veritatem novit, personam non accipit, Deum imitatur, ut dicit Cass[ianus] super illud, et operatur justiciam[3]. Item, domine rex, si justiciam

1. — [1] (Et est justicia — venerabuntur et diligent) *om.* Cl., F. — [2](Et secundum hoc — venerabuntur et diligent) *om.* V. R. — [3](Et

a. Sancti Ambrosii *Expositio Evang. sec. Luc.*, Lib. V, 76, *P. L.*, t. XV, p. 1657. — *b.* Sancti Cypriani *De duodecim abusionibus saeculi tractatus*, cap. IX, *P. L.*, t. IV, p. 878. — *c.* Ps. CXLV, 8. — *d.* Sancti

sectari desideras, prius Deum time et ama ut ameris a Deo; amabis enim Deum, si in hoc imitaberis illum ut velis omnibus prodesse et nulli nocere, et tunc omnes homines appellabunt te virum justum quem sequentur, venerabuntur et diligent. Justus enim ut sis, non solum non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis, ut dicit Seneca. Et dicit Gregorius[d] in registerio : Summum in regibus bonum est justiciam colere ac sua unicuique jura servare, et in subjectos non sinere quod potestatis est fieri, sed quod justum est custodiri. Sed que est illa justicia vel equitas hiis diebus, emere res aliquas pro minori precio quam venditor velit eas dare, cum empcio et vendicio sunt de jure gencium, et contrahuntur consensu? Non enim est ibi consensus, non vendicio set extorcio, non justicia sed rapina, nulla equitas sed falsitas et iniquitas. Et ideo[4] a quibus bona sic capiuntur clamant ad Deum. Quid autem clamant, non exprimo. Immo, Deus novit et illos pauperes libenter audit Deus; unde psalmista : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, speracionem*[5] *cordis eorum audivit auris tua*[e]; et alibi: *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*[f], et alibi : *Iste pauper clamavit et Dominus exaudivit eum*[g]. *Et non est oblitus clamorem pauperum*[h]; et Ecclesiastes xxj : *Deprecacio pauperis ex ore usque ad aures Dei pervenit et clamor innocencium pervenit ad Deum*[i]. Exod. ij : *Clamor filiorum Israelis ascendit ad Deum quos gravabant Egypcii sub labore et audivit Deus gemitus eorum*[j]. Unde Job xxiiij : *Anime vulneratorum clamant ad Deum et Deus inultum*[6] *abire non patitur*[k].

2. Ut ergo fiat unicuique justicia, non capiantur res alique pro minori precio quam venditor velit eas dare. Et si dicitur quod hoc est regum[1] prerogativum, etiam ego dico tibi regi quod

operatur justiciam) *om.* V. R. — [4](Et ideo) pauperes a quibus, Cl., F. — [5]preparacionem, Cl., F. — [6]ultionem, Cl., V. R.

2. — [1]regis, Cl., V. R. — [2]habes, Cl., V. R. — [3](per quod instrui

Gregorii Magni *Epistolarum*, Lib. IX, Epist. CXVI; ad Theodericum et Theodebertum reges Francorum, *P. L.*, t. CXXVII, p. 104. — *e.* Ps. X, 17. — *f.* Ps. XI, 6. — *g.* Ps. XXXIII, 7. — *h.* Ps. IX, 13. — *i.* Eccli. XXI, 6. — *j.* Exod. III, 9. Clamor... venit ad me : vidique afflictionem eorum, qua ab Egyptiis opprimuntur. — *k.* Job. XXIV, 12.

est regni tui destructivum et contra Dei voluntatem, quia est magnus error licet quasi lex custodiatur, unde Sapienc. [f. 135] xiiij : *Convalescente iniqua consuetudine, error tanquam lex est custodita et tyrannorum imperio custoditur*[a], sed tu rex adverte diligenter et intellige, quod nichil haberes[2], nisi a Deo, et tamen non aufert a te quod habes, sed magis cotidie multiplicat per quod instrui debes[3] dare subditis tuis, non autem aliquid ab eis auferre. Sed videas ne provoces Deum ad iram cum tot bona dederit in manu tua, ut dicitur Job, i. Si autem dicatur, quod omnia sunt principis, hoc intellige ad defend[end]um non ad depredandum[b]; Ecclesiastic. xxxiij in fine ubi dicitur : *Si est tibi servus, sit tibi quasi anima tua, quia in sanguine anime comparasti*[4] *eum,* id est, periculum anime tue est, si *male tractaveris eum*[c]. Item dicitur ij Regum vij quod David fuit rex positus pascere gregem populi Dei, non spoliare[d]. Eze. xlvj : *Non accipiet princeps de bonis populi per violenciam*[e]; et dicitur Proverb. xxij : *Non facias violenciam pauperi quia Dominus judicabit*[5] *causam ejus et puniet eos qui pauperem punierunt*[f], et valde odibile est hoc peccatum Deo quia non solum prohibetur violencia, sed etiam ipsa mala voluntas rapiendi. Exo. xx. *Non desiderabis bovem vel asinum proximi tui vel cetera bona que illius sunt*[g]. Et, rex, scire debes quod quicunque fecerit hujus rapinas homicida est, comedit enim et bibit pauperem dum res ejus devorat sine quibus vivere non poterat. Ecclesiastic. xxxiiij : *Qui aufert in sudore*

debes dare) per quod justicia debes dare, F. ; per quod debes dare, Cl., V. R. — [4] temperasti, Cl., V. R. — [5] vindicabit, Cl., V. R., F. — [6] (ci-

a. Sap. XIV, 16. — *b*. Joannis Saresberiensis, *Polycraticus*, lib. IV, cap. VIII; Lib. V, cap. IV; Lib. VIII, cap. XVII; — S. Thomas, *de regimine principum*, I, cap. I. Regnum non est propter regem, sed rex propter regnum... rex regni redditus studeat expendere in bonum commune vel in bonum regni. Cf. id. III, cap. XI; — Aegidius Romanus, *de regimine principum*, Lib. VIII, part. II, cap. 9; — Vincentius Bellovacensis, *de moribus principis*, cap. II ; *Carmen de Bello Lewensi*, v. 893 et seqq. (Edit. Kingsford, p. 29.)

Ut rex nichil proprium praeferat communi,
Non enim preponitur sibimet victurus.....
Regis esse noveris nomen relativum
Nomen quoque sciveris esse protectivum....,
Qui vult sibi vivere non debet praeesse.....

c. Eccli. XXXIII, 31, 32. — *d*. II Reg. VII, 7. — *e*. Ezec. XLVI, 18. — *f*. Prov. XXII, 22, 23. — *g*. Exod. XX, 17. — *h*. Eccli. XXXIV, 26.

panem desudanti cibos[6] *est quasi qui occidit proximum suum*[h]. Mich. iij : *Qui violenter tollunt bona populi mei comedunt carnes populi mei et pellem eorum desuper excoriaverunt;* et sequitur ibidem : Cum fuerint in tribulacione et periculo *clamabunt ad Dominum et non exaudiet eos et abscondet faciem suam ab eis, sicut nequiter egerint in factis suis*[i]. Hoc dicit Dominus principibus, regibus, hominibus singulis et universis. Igitur ut bona tua fama de cetero conservetur illesa, et velis a Deo et a populo diligi[7], et etiam honorari, bonum et utile videtur quod servientes tui nichil caperent contra voluntatem venditorum, et tunc ubicunque venires in regno tuo, homines undique venirent et afferrent omnimoda victualia tibi et servientibus tuis necessaria etiam ad portam tuam.

3. Sic enim faciebant homines tempore regis Henrici ultimi. Et si hoc fiant, ubi erat prius dolor et tristicia, nunc et in posterum erit gaudium et leticia de adventu tuo. Illi homines de familia tua qui consenciunt quod sic fiat[1], sunt tui amici, quia volunt tuum honorem et presumitur quod sunt de familia Dei. Illi autem, qui contradicunt, non sunt tui amici, sed inimici, et de familia dyaboli, tales enim habent iiij vel v equos in patria ubi non debent habere nisi unum vel duos, et capiunt bona aliorum et quasi nichil solvunt unde secundum Augustinum : Quia capiunt bona aliorum capiuntur a dyabolo et tenendo ea injuste tenentur a dyabolo. Item, secundum Augustinum[a] : Pro rebus alienis quas sic capiunt seipsos dyabolo vendunt. Nam multum esset pauper qui venderet manum vel pedem proprium propter egestatem, sed pauperimus est qui seipsum totum vendit etiam corpus et animam[2]. Sic enim faciunt multi de familia tua, capientes bona aliorum, contra eorum voluntatem et scientes garciones suos facere per patriam hujusmodi extorciones et rapinas, nec remedium

bos) *om.* Cl., V. R. — [7] amari, Cl., V. R.

3. [1] qui hoc consenciunt ut sic fiat, Cl., V. R. — [2] (etiam corpus et

— *i. Mich.* III, 3, 4.

a. S. Augustini, *Sermo* LXXVII, de verbis Evangelii Matthaei : Venite benedicti patris, *P. L.*, t. XXXIX, p. 1896. — *b*. C. 3, D.LXXXVI.

aliquod apponant. Unde facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit[3] emendare, lxxxvj de *facientis*[b]. Et negligere cum possit perturbare perversos nichil aliud est quam eos fovere, nec caret scrupulo societatis oculte qui manifesto facinori desinit obviare, lxxxiij *de nemo error,* etc., *quid enim* etc., *consentire*[c]. Et consentire videtur rex erranti qui ad resecanda que corrigi debent non occurrit. Et propter hujusmodi empciones[4] et rapinas que fiunt per tuos ministros, immo diaboli servos, status tuus non modicum diffamatur. Igitur, ut fama tua sit bona, et illesa de cetero conservetur, oportet[5] quod predicta omnia facias corrigi sine mora, quia bona fama plus valet quam infinite divicie, unde Proverb. xxij : *Melius est nomen bonum*[6], *quam divicie multe*[d]. Et ad hoc, debes laborare, ut habeas bonam famam, quia secundum Augustitinum[e] duo sunt tibi necessaria, videlicet, consciencia justa, et fama honesta. Consciencia pro te, fama propter proximum. Qui autem famam suam negligit, crudelis est. Item secundum Cass[iodorum][f]: Quicunque affectat commoda bone fame negligit augmenta pecunie, et regnantis facultas tunc fit dicior quando nititur adquirere thesauros bone fame, neglecta bona utilitate pecunie. Et tu, rex, si vis adquirere tibi dileccionem populi in opere tuo, hoc ostendas. Unde Gregorius[g]: Amor noster erga proximum plus operatur bonum opus quam lingua ut in ipso bono opere proximus te amari videat, et cum tantum non possumus quantum[7] volumus operari, omnipotenti Deo occulta cordis nostri sufficiunt, et per amorem Dei amor proximi gignitur, et per amorem proximi amor Dei mittitur. Nam qui amare proximum negligit, profecto Deum Creatorem suum diligere nescit.

4. Sed mirum est, et admiracione non modica mirandum, qua audacia, qua temeritate, jure periti de familia tua et alii

animam) *om.* Cl., V. R., F. — [3] habent... possunt... negligunt..., Cl., V. R. — [4] (Et propter hujusmodi — Sed mirum est, n° 4) *om.* F — [5] vide, Cl., V. R. — [6] bona fama, Cl., V. R. — [7] quam, Cl., V. R.

— c. C. 2, 3. D. LXXXIII.— *d.* Prov. XXII, 1.— *e.* S. Augustini *Sermo* XLVII, *P. L.*, t. XXXVIII, p. 301. — *f.* Cassiodori *Variarum*, Lib. VI, 9. *P. L.*, t. LXIX, p. 691. — *g.* S. Gregorii *Homiliarum in Ezechielem*. Lib. II, Homil. V, *P. L.*, t. LXXVI, p. 988.

viri, habentes legem Dei, et hominum reputacione sancti, de hujusmodi rebus, contra voluntatem dominorum, aliquid pro se et pro suis admittunt, et disponunt de hiis pro libito voluntatis, et de hiis comedunt et bibunt contra illud Thob. ij : *Anna uxor Thobie de labore manuum suarum vixit et victum quem consequi potuit* Thobie *deferebat; unde* cum una die *edum caprarum accipiens detulisset domi*[1], *sed*[2] *cum vocem balantis vir ejus audisset dixit : vide ne forte furtivus sit, reddite* [sic] *eum domino suo, quia non licet nobis aliquid edere de furto aut contingere*[a]. Sed nunc est clamor quasi per totam hanc terram quod rex et sui vivunt de [f. 135 v] hujus rapina[3], si auderemus dicere[4], et illi de familia tua sunt surdi quia nolunt hoc audire juxta illud Psalmiste: *Aures habent et non audient*[b]. Sunt ceci juxta illud Psalmi : *Comprehenderunt me iniquitates, et non potui*[c] *ut viderem.* Et Sapienc. ij : *Excecavit eos malicia eorum*[d]. Sunt etiam sicut canes muti, non valentes latrare, nam tales homines regiam graciam amittere formidantes et loqui libere recta pertimescunt[5]; et tales sunt quidam episcopi et prelati, hiis diebus. Juxta veritatis vocem, nequaquam jam gregis custodie, vel pastorum studio, sed mercenariorum vite deserviunt, quia veniente lupo fugiunt dum se sub silencio abscondunt. Hinc[6] namque per prophetam Dominus eos increpat dicens in Ezechiele : *Non ascendistis ex adverso, nec posuistis vos murum, pro domo Israelis ut staretis in prelio in die Domini*[e]. Ex adverso quippe ascendere est pro defensione gregis voce libera hujus mundi potestatibus contraire. Et in die domini prelio stare, est pravis decertantibus ex justicie amore resistere. Pastoribus enim recta timuisse dicere, quid aliud est quam tacendo terga prebuisse? Qui nimirum, si pro grege se objiciunt, murum pro domo Israelis hostibus opponunt. Et sequitur : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam,* xliij[f]. O domine mi rex, jura et

4. — [1] domum, Cl., V. R. — [2] cujus cum, Cl., V. R. — [3] de hiis rapinis, Cl., V. R, ; de hujusmodi rapina F. — [4] (si auderemus dicere) *om.* Cl., V. R., F. — [5] (et loqui libere recta pertimescunt) et loca sua perdere pertimescunt, Cl., V. R. — [6] (Hinc namque — O Domine mi

a. Tob. II, 19, 20, 21. — *b.* Ps. CXIII, 6 ; CXXXIV, 17. — *c.* Ps XXXIX, 13. — *d.* Sap. II, 21. — *e.* Ezec. XIII, 5. — *f.* Isai. LVIII, 1.

laudabiles regni consuetudines et precipue ecclesiasticas libertates ab omnibus oneribus malis et illicitis[7] facies observari, et ad hoc faciendum, in coronacione tua, prestitisti corporale juramentum[g], et omnes facientes contra articulos contentos in Magna Carta sunt ipso facto excommunicati, que sentencia per sedem apostolicam est pluries confirmata. Qua igitur demencia, et instigacione diabolica servientes tui ut dicunt et precursores diaboli de domibus, maneriis, vel grangiis vel aliis locis episcoporum, prelatorum seu aliarum personarum ecclesiasticarum contra eorundem voluntates, vel custodum rerum earundem, aliquid auferunt, vel consumunt, vel injuriose contractant? Nam tales sunt ipso facto excommunicati, et per consequens sunt membra diaboli nec absolvi possunt donec de injuriis satisfecerint competenter. In constitutione de Lameth Pecham[h]... eisdem temporibus... capiunt etiam equos et carectas et faciunt servos Christi laborare die ac nocte

rex) *om.*, F. — [7] (ab omnibus oneribus malis et illicitis) *om.*, Cl., V.

— *g*. De Juramento regum Angliae, die coronationis praestito, cf. Bracton, III, 9, *de Actionibus* (Twiss., II, 170.), Thomam Walsingham, *Historia*, t. I, p. 332-338; Sadler, *Right of the Kingdom*, pp. 71, 80, 91; Ch. Bémont, *Simon de Montfort*, p. 97. — Haec est formula juramenti regis Angliae, die coronationis suae: Archiepiscopus Cantuariensis, mediocri et distincta voce, publice, coram populo, interrogabit regem: Syre, wolez-vous granter et garder et par votre serment confermer au peuple d'Engleterre le loys et les custumes a eus grantez par les aunciens roys Dengleterre, dreiturelz et devoutz a Deu, et nomeement les loys et les custumes et les franchises grantez a clergie et au people par le glorius Roy seint Edward?

Respondeat Rex:

Jeo les grante et garderay et par serment confermeray.

Sire, garderez vous a Deu et a Seint Eglise et au clergie et au people pes et acord en Deu, enterement solon vostre poair?

Respondeat Rex:

Jeo les garderay.

Sire, freez, vous fere en touz vos iugementz owele (sic) et dreite justice et discretion en misericorde et verite?

Respondeat Rex:

Jeo le fray.

Sire, grantez vous a tenir, et promettez vous a defendre les loys et les custumes dreitureles lesquels la communalte de vottre roialme avera eslu et les aforcerez al honnur de Deu solon vostre poair?

Respondeat Rex:

Jeo les grante et les promet.

Hiis omnibus pronunciatis et concessis, confirmet rex, sacramento corporali super altare protinus prestito, se omnia predicta esse servaturum (*Cotton. Galba. E. IV*, f. 1 v.). — *h*. Johannes Pecham, Archiepiscopus Cantuariensis (1240-1292). Constitutiones Joannis de Pecham

in servicio tuo et quasi nichil pro servicio et labore suo eis solvunt cum pro carecta ad duos equos deberent dare x denarios per diem et pro carecta ad tres equos xiiij denarios per diem, ut patet in Magna Carta, et quia non solvunt ut statuitur in Magna Carta sunt excommunicati, et dicitur Jacob ultimo[i] : *Ecce merces operariorum, que fraudata a vobis, clamat ad Deum et clamor eorum in aures Domini introivit*[8].

5. Ecce, domine rex, que mala secuntur de hujus[1] rapinis. Primum malum est magnitudo hujus peccati, que magnitudo primo patet per hoc quod peccatum illud destruit in homine fundamentum justicie et bonitatis de quo fundamento dicit Sapiencia : Primum fundamentum justicie est ne cui noceat. Deinde, ut communi utilitati serviat; 2° per hoc quod raptores sunt pejores diabolo. Primo in hoc quod diabolus eos depredatur et torquet eos qui mala agunt, set raptores depredantur eos qui a malo recedunt, Ysa. lix : *Qui recessit a malo prede patuit*[a], et Proverb. xxix : *Viri sanguinum oderunt simplicem*[b]. Unde diabolus poterit se justificare in comparacione raptoris, poterit enim dicere illos solos affligi qui te oderunt, sed raptores etiam eos qui te dilexerunt; 3° in hoc quod diabolus defert angelo Dei deputato homini ad custodiam ut corporalem violenciam ei non inferat, quod raptores non faciunt, si[2] contra voluntatem Domini bona ejus auferunt; 4° in hoc, quod diabolus torquet homines in inferno qui est *locus tormentorum*[c], Luc. xvj. Sed raptores torquent homines in hoc mundo ubi debent esse homines liberi ad faciendum de se et suis, secundum suam voluntatem. Unde, recte intelligere possumus raptores vocatos esse angelos diaboli, Matt. xxj : *Discedite a me maledicti in ignem eternum qui preparatus est diabolo et angelis ejus*[d].

R., F. — [8] intonuit, Cl., V. R. (in aures Domini introivit. — §§ 5, 6, 7, 8), *om.*, F.

5. [1] hujusmodi, Cl., V. R.

Archiep. Cantuar. factae in Concilio apud Lambeth, 1281. Rawlinsonianus. C. 100, f. 118; Wilkins, t. II, p. 51. — *i*. Jac. V, 4.

a. Isai. LIX, 15. — *b*. Prov. XXIX, 10. — c. Luc. XVI, 28. — *d*. Matt. XXV, 41.

6. Sunt enim missi ad faciendum in hoc mundo quod diabolus facit in inferno; 5° per hoc quod ipsi sunt pejores quacunque bestia, unus enim raptor totam unam patriam devorat, sicut malus princeps; et lupus, interdum, per annum non devorat unum hominem. Unde princeps comparatur leoni et urso, Proverb. xxviij : *Leo rugiens et ursus esuriens princeps ipsius super populum pauperem*[a]. Item raptor dicitur homicida, quia dicitur Ecclesiastic. xxxiiij : *Qui aufert aliquid a querente panem per sudorem est quasi qui occidit proximum suum*[b]. Secundum malum est magna rusticitas que est in rapiendo, dare enim nobile est valde, si igitur dare reddit hominem nobilem, auferre reddit eum ignobilem. 3m malum est gravis macula hujusmodi peccati que ita se habet[1], quod vix restituit aliquis[2] ea que rapuit, et non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, ut dicitur xiiij Q. vj *si res aliena*[c]. 4m malum est magnum dampnum spirituale quod incurrunt raptores dum aliquid terrenum rapiunt, unde dicit Augustinus: Lucrum in archa dampnum, ... tollit vestem et perdit fidem, acquirit pecuniam et amittit justiciam. 5m malum est parva utilitas, quam habent raptores de rapina sua. Nam quoad corpus parum valet cum cito transit, Ecclesiastic. xl : *Substancia impiorum quasi fluvius siccabitur*[d]. Sed quoad animam nichil valet, quia inde non [f. 136] possunt facere elemosinam neque oblacionem, ut dicitur Ecclesiastic. xxxiiij : *Nam qui offert sacrificium de substancia pauperis, est quasi qui victimat filium in conspectu patris*[e]. xiiij q. v. capitulis i, ij et iij et quasi per totum[f]. 6m malum est pena quam sumpturus est Dominus de raptoribus. Et sunt iiijor per que potest ostendi quod Deus multum puniet raptores.

7. Primum[1] est quod ipse districte judicat eos qui propria non largiuntur pauperibus. Si enim dampnat eos qui paupe-

6. [1] (se habet) adheret, Cl., V. R. — [2] (aliquis) *om.* Cl., V. R.

7. — [1] Primum est, si damnat eos qui pauperibus, Cl., V. R. —

a. Prov. XXVIII, 15. — *b*. Eccli. XXXIV, 26, 27. — *c*. *C*. I, *C*. XV, 9, 6. — *d*. Eccli. XL, 13. — *e*. Eccli. XXXIV, 24. — *f*. *C*. 1, 2, 3, *C*. XIV, 9, 5.

ribus propria bona non tribuunt, quid faciet de eis qui eis[2] propria auferunt? Unde glossa super Luc., non reprehenditur dives quia aliena rapuit, sed quia sua non erogavit[3]. Quid ergo est ei qui aliena rapit[4]? Matthei xxv : *Tunc dicet rex hiis qui a sinistris ejus erunt: Discedite a me maledicti in ignem eternum. Esurivi, et non dedistis michi manducare*[a], et cetera. Sed raptoribus poterit tunc dicere : Esurivi et abstulistis michi quod debui manducare. 2m est simplex[5] malediccio viduarum et pupillorum[6] quos ipsi spoliant, Ecclesiastic. xxxv : *Non despiciet Dominus preces pupilli*[7] *nec vidue, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrime vidue et clamor ejus ascendunt ad Deum et Dominus exauditor est*[b]? Et sequitur : *Reddet vindictam*[c], de hujusmodi malefactoribus, et in proximo capitulo. Quid ergo valet si raptor oret et pauper contra eum ad Dominum clamet pro rapina et injuria ei facta cujus vocem exaudiet Dominus? Non est dubium quin audiet deprecacionem lesi. 3m est amor judicis celestis, quem habet ad pauperes qui spoliantur de quibus dicitur Matt. xxv : *Quod uni ex minimis meis fecisti, michi*[d], et cetera. Propter hos enim, venit in mundum. Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. 4m est per hoc, quod pauperes quos ipsi spoliaverunt ipsorum judices erunt. Job : *Pauperibus judicium tribuit*[e] et Sapienc. v : *Tunc stabunt justi in magna constancia adversus eos qui se angustiaverunt et qui abstulerunt labores eorum : videntes turbabuntur timore horribili et mirabuntur in subitacione insperate salutis, dicentes intra se, penitenciam tunc agentes,* sed nimis tarde : *Hii sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati estimabamus vitam illorum insaniam, et finem illorum sine honore. Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis et justicie, lumen non luxit nobis et sol intelligencie non est ortus nobis, lassati sumus in via iniquitatis et perdicionis et ambulavimus in vias difficiles, viam autem Domini*

[2] ab illis, Cl., V. R. — [3] erogaverit, Cl., V. R. — [4] rapuerit, Cl., V. R. — [5] multiplex, Cl., V. R. — [6] populorum, Cl., V. R. — [7] populi, Cl.,

a. Matt. XXV, 41, 42. — *b*. Eccli. XXXV, 17, 18, 19. — *c*. Ibid. 23. — *d*. Matt. XXV, 40. — *e*. Job. XXXVI, 6. — *f*. Sap. V, 1-9.

ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? rapina, *diviciarum jactancia? Cum omnia illa transierunt cum*[8] *momentanea umbra*[f]. Item, preter predicta mala, est raptori quadruplex pena in presenti.

8. Prima est paupertas, Proverb. xj : *Alii dividunt propria, et diciores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper sunt in egestate*[a]. Cujus paupertatis causa est quia sicut ipsi auferunt ita auferuntur[1] ab eis. Ysa. xxxiij : *Ve qui predaris, nonne et tu ipse depredaberis*[b]? Et Abacuc. ij : *Ve qui multiplicat non sua; et quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te qui reliqui fierunt de populis*[c]. 2ª pena est mortis acceleracio, Psalm.: *Viri sanguinum et dolosi*[d], et cetera, et Proverb. iiij : *Via impiorum tenebrosa nesciunt ubi et quando corruent*[e]. Proverb. v : *Ipse morietur, quia non habuit disciplina; et in multitudinem stulticie decipietur*[f]. 3ª pena est quod frequenter gladio moriuntur et anime eorum a demonibus rapiuntur et quandoque corpora eorum non sepeliuntur, ut dicitur in Jero. xix et xx. Qui michi visibiliter rapit, subito in exitu anime a corpore invisibiliter rapietur a diabolo. 4ª pena est quod filii eorum frequenter mendici erunt et gladio moriuntur. Naum ij : *Leo implevit speluncas suas preda pro catulis suis, et cubile suum rapina*. Et sequitur : *Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum : succendam usque ad fumum, speluncas tuas, et leoniculos tuos comedet gladius; exterminabo de terra predam tuam, et non audietur vox nunciorum tuorum*[g]. Si ergo tot mala, et tot pene accident raptoribus, quas penas merentur illi qui sunt auctores et fautores istorum raptorum? Novit ille qui nichil ignorat. Nam prestans auctoritatem et defensionem delinquenti gravius peccat quam faciens, et magis est puniendus xxiiij. g. iij. *Qui aliorum*[h].

9. O domine mi rex, ecce cujusmodi decepcio fit per cu-

V. R. — [8] tanquam, Cl., V. R.

8. — [1] aufertur, Cl., V. R.

a. Prov. XI, 24. — *b*. Isai. XXXIII, 1. — *c*. Hab. II, 6, 8. — *d*. Ps. LIV, 24. — *e*. Prov. IV, 19. — *f*. Prov. V, 23. — *g*. Nah. II, 12, 13. — *h*. *C*. 32, *C*. XXIV, *Q*. 3.

riam tuam. Hiis diebus per aliquem de curia tua fiet proclamacio publice in foro, ne quis sub gravi pena aliquas res ab aliis capiat nisi pro hiis solvat ut tenetur, et tamen curie tue decursores, immo, precursores Antichristi, id est contra Christum, et garciones tue curie diversi, id est garciones diaboli et ei totaliter alligati quia sunt servi ejus, unde Joa. viij : *Qui facit peccatum servus est peccati* [a], et per consequens diaboli, capiunt multa bona per violenciam a dominis illorum bonorum[1], videlicet, capiunt panem, cervisiam, aucas, gallinas, fabas, avenas et multa alia, pro quibus quasi nichil solvitur ; et propter hujusmodi extorsiones, multi pauperes non habebunt unde possunt[2] terras suas seminare. Et ecce malicia[3] illorum garcionum. Statuitur, sive ordinatur, tacite vel [f. 136 v] expresse, inter eosdem garciones qui sunt deputati ad unam villam, quod unus eorum maledictus et pessimus faciat rapinas de avena, de pane, cervisia, aucis, gallinis ; et de hiis communiter faciunt festa sua et gaudent, et populus tristatur. Sed, pro certo, hujusmodi festa gaudiosa convertentur in luctum dolorosum et planctum juxta illud Amos viij : *Convertam festivitates vestras in luctum et omnia cantica vestra in planctum* [b], in Luca vj : *Ve vobis qui saturati estis : quia esurietis. Ve vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis et flebitis* [c]. Sed, si ad curiam tuam conqueratur de hujusmodi garcionibus, ille garcio qui predicta bona rapuit, absentabit se, neque tunc invenietur et alii garciones totaliter se excusant, cum tamen omnes de hujusmodi rapina communicabant. Sed utinam statueretur in tua curia, quod si unus sic delinquat, quod omnes et singuli tenerentur, maxime cum ille delinquens hujusmodi rapinas facit etiam auctoritate et defensione aliorum. Cum consencientes et agentes pari pena sunt puniendi et eodem modo magistri eorum sunt puniendi quia facientis culpam habet qui quod potest corrigere negligit emendare ; et non solum qui faciunt, sed qui consenciunt participes judicantur,

9. — [1] precursores tue curie capiunt multa bona, Cl., V. R., garciones tue curie capiunt multa bona, F. — [2] possint, Cl., V. R., F. — [3] maliciam, Cl. V. R.

a. Joan. VIII, 34. — *b*. Am. VIII, 10. — *c*. Luc. VI, 25. — *d*. *C*. 1,

neque caret scrupulo societatis occulte qui manifesto facinori desinit obviare LXXXVJ d. *facientis*[d]...

10. Sed communiter dicitur, quod magistri nolunt habere alios garciones quam tales, quia bene vivere sciunt de rapina, quia per familiam bene cognoscitur dominus cujus fuerit condicionis ; nam talis dominus qualis[1] familia. Et hec publice in patria predicantur. Et nisi hec predicta cicius emendentur, timendum est de tuo magno dampno[2], sive saltem de dampno eorum qui hec fieri paciuntur et remedium non apponunt ; de quo dampno dicitur Ecclesiastic. x : *Regnum a gente in gentem transfertur propter injurias, injusticias, contumelias et diversos dolos*[a], ut patet de Saule, 1, Reg. xv et postea de Jeroboam iij, Regum xij, et de multis aliis, et etiam de multis magnis dominis quondam in Anglia gubernantibus regnum istud[b]. Cogita, cogita[3] et intime cogita de premissis et cogita quod multa mala evenerunt Hely pro eo quod noverat filios suos iniquitatem magnam commisisse nec coripuit eos, prout legitur 1 Regum iij et iiij. Sic timendum est de te, quod multa mala tibi et regno tuo evenient, nisi predicta facias emendari. Et si illi de familia tua perseverent in malicia sua, nec tu eos correxeris, cum habueris potestatem, tu et illi peribitis, ut dicitur 1 Regum xij, in fine capituli ubi dicitur quod : *Si perseveraveritis in malicia vestra ; vos et rex vester pariter peribitis*[c]. Et ammoneo[4] te regem et omnes de familia tua, qui hujusmodi rapinis consenciunt tacite vel expresse, quod cum venerit super vos tribulacio et angustia, clamabitis ad Deum et non exaudiet vos. Juxta illud Ysaie : *Cum extenderitis ad me manus vestras, avertam oculos meos*

10. — [1] talis, Cl., V. R. — [2] interitu, Cl., V. R. — [3] (Cogita — sic timendum est) *om.* Cl., V. R. ; Qui heri ex auro fecerunt thesaurum, hodie ex eis aurum facit thesaurum ; heri non sufficiebat eis totus mundus, hodie IIII ulne panni cultui eorum sufficit ; heri terram premebant, hodie terra premuntur ; heri ducebant exercitum magnum, hodie ducuntur ab aliis ; heri gentes eos timebant, hodie non timent ; heri potuerunt multos populos liberare a morte, hodie non est aliquis qui timeat eos ; heri habuerunt amicos, hodie habent eos exules. *add.* C. — [4] (Et ammoneo te, o domine mi rex, scire debes, § 11) *om.* F. —

D. LXXXVI.

a. Eccli. X, 8. — *b.* Cf. infra, § 44. — *c.* I, Reg. XII, 25. — *d.* Isai.

a vobis : et cum multiplicaveritis oraciones vestras, non exaudiam vos ; manus enim sanguine plene sunt[d], et Proverb. 1 : *Vocavi et renuistis* ; et sequitur : *Quando veniet super vos tribulacio, et angustia, clamabitis ad Deum, et non exaudiet vos ; quia exosam habuistis disciplinam Dei, et timorem Domini non suscepistis*[5], *nec acquievistis consilio bono*[e].

11. O domine mi rex, scire debes quod in multitudine populi dignitas tua consistit et in paucitate plebis ignomina, ut dicitur Proverb. xiiij[a]. Sed illi de familia tua, qui capiunt bona aliqua contra dominorum voluntatem, et eis consencientes in veritate non sunt de familia licet videantur et dicantur de familia tua. Hoc probo sic. Nam in multitudine populi dicitur fiducia regis et fortitudo. Sed etiam in veritate et timore Domini est fiducia fortitudinis, ut dicitur Proverb. xiiij[b]. Cum ergo capientes bona aliorum contra voluntatem eorum non habent timorem Domini, ut superius est notatum, quia *timor Domini expellit peccatum,* ut dicitur Ecclesiastic. 1[c]. Relinquitur ergo quod non sunt de familia tua nec de populo tuo et propter hujusmodi rapinas et injusticias quasi totus populus tristatur contra adventum tuum ubicumque veneris in regnum tuum et tecum non sunt mente, licet tecum videantur corpore, et forte, si caput aliud haberent insurgerent contra te, sicut contra patrem tuum fecerunt, et sicut[1] in veritate non haberes tecum aliquam[2] populi multitudinem. Sed si haberes tantum xxx[a] vel xl[a] homines tecum de familia tua bonos, et non tales qui facerent hujusmodi rapinas, tunc haberes tecum totam terram et sic adquireres populi multitudinem in amore, et aliter, nullo modo. Et tu rex, diligenter vide, et intellige quid accidit regi Nabugodonozor et filio ejus Balthasar, Dan. capitulis iij et v.

12. O domine mi rex, audi nunc cujusmodi iniquitas et

[5] custodistis, Cl., V. R.

11. — [1] sic, Cl., V. R. — [2] aliquaudo, Cl., V. R.

I, 15. — *e*. Prov. I, 24, 27, 28, 29, 30.

a. Prov. XIV, 28. — *b*. Prov. XIV, 26. — c. Eccli. I, 27.

falsitas fit hiis diebus per garciones tue curie. Si invenerint avenam alicubi, dicunt se velle solvere pro 1 bussello avene tantum iij denarios, licet valeat v denarios, et si non invenerit avenam, sed ordeum, capiunt invito domino 1 bussellum ordei pro iij denariis, licet valeat viiij d. Si autem non invenerint ordeum, sed fabas, capiunt 1 bussellum fabarum pro iij denariis, licet 1 bussellus valeat xij denarios. Que est illa justicia? Non justicia, sed rapina, ut superius est notatum [a]. O domine mi rex, in quibusdam factis tuis similis es magistro raptorum [1], qui sub se habet plures fures et raptores. Si enim in patria, vel loco, ubi plures sunt raptores, quis voluerit secure transitum suum facere per illum locum, dat aliquid magistro raptorum vel alicui de suis, ut possit habere securum ductum per illum locum periculosum, et tunc concedit signa vel litteras, ne quis suorum aliquid rapiat ab eodem. Sic, domine rex, in partibus illis in quibus transitum tuum facis est, quod si quis voluerit tunc res suas habere salvas, oportet quod impetret sibi amicos in curia tua per munera sua, ut impetret a te aliquam litteram [2] cum contineat jus [f. 137] commune, quia de jure communi, nemo debet capere bona aliena, domino invito, sine justa causa. Et quamvis rex preciperet alicui quod caperet bona alterius injuste, non esset in hoc casu domino obediendum [3], et qui in hoc casu non obedit regi grande premium sibi adquirit quicumque, etc., c. *imperium* [b]. Et, tu rex, intellige quid dicit Augustinus de verbis Domini [c]. Ecce, tu rex, recole primordia; dic, rogo, quid attuleris, aut si dicere erubescis, Apostolum audi : *Nichil,*

12. — [1] latronum, Cl., V. R., — [2] (ut impetret litteram) quod impetret a te aliquas litteras ne quis capiat bona sua contra ejus voluntatem, cum contineat jus, Cl., V. R. ; quod impetret a te amicam litteram, ne quis rapiat bona sua contra ejus voluntatem, F. — [3] obediendus (*sic*) D. —

a. § 1. — *b*. *C*. L, *C*. XII, Q. 2. — Hincmari *Epistola ad episcopos de institutione Carolomanni*, cap. VIII, *P. L.*, t. CXXV, p. 835. — Smaragdus, *P. L.*, t. CII, p. 933. — Jonas Aurelianensis, *P. L.*, t. CVI, p. 295. — Sedulius Scotus, *P. L.*, t. CIII, pp. 294, 295, 329. — Hugo de Sancta Maria, *P. L.*, t. CLXIII, p. 941. — S. Augustinus, *De libero arbitrio*, I cap. 5 : « Non videtur esse lex quae justa non fuerit; unde in quantum habet de justicia, in tantum habet de virtute legis... » Cap. 6 : « Omnis lex humanitus posita in tantum habet de ratione legis, in quantum a lege naturae derivatur. Si vero in aliquo a lege naturali discordet, jam non

inquit, intulimus in hunc mundum[d]. Utique quando nati sumus, sed nec auferre quid possumus. Ex quo ergo, tu rex, nichil attulisti, et nichil auferes, quid te inflas contra pauperem? Certe, quando aliquo casu[4] vetera sepulcra franguntur, ossa divitum non agnoscuntur ob ossibus pauperum. Et dicit Ambrosius : Nudi homines nascimur, nudi morimur, nulla discrecio inter cadavera mortuorum nisi forte quod gravius fetent divitum corpora distenta luxuria.

13. O domine mi rex, attende et diligenter adverte quid pertineat ad bonum regem, ut dicitur xxvj d'capitulo ultimo[a] : Boni regis est officium, ecclesias contritas ac concussas restaurare, novasque edificare, et Dei sacerdotes honorare atque tueri. Sed porro hiis diebus in contrarium res versa est. Nam nunc, illi de familia tua insurgunt contra servos Christi[1], religiosos et sacerdotes etiam qui deserviunt in patrimonium Ihesu Christi spoliant et depredantur subjectos ibi pauperes, religiosos et alios miserabiliter atque immisericorditer affligunt ut in doloribus alienis illicitos appetitus et extraordinarias impleant voluptates. Et tu, domine rex, bene scis et intelligis quod in domibus religiosorum trahis moram quandoque per unam diem, quandoque per plures, et multas et infinitas facis expensas de bonis religiosorum, quid per exennia, quid per alias vias, et sic que debent esse bona pauperum et ecclesiarum, tu consumis et hoc non est ecclesias construere et restaurare, sed destruere et adnichilare. Et dico tibi regi quod, ut communiter, isti religiosi exennia et dona et expensas quas tibi et tuis faciunt, quasi ipsis invitis faciunt, et bene inviti faciunt[2], quia sciunt vel scire debent, quod bona ecclesiarum

[4] aliquo tempore Cl., V. R.

13. — [1] (servos Christi — spoliant et depredantur) *om.* Cl., V. R. — [2] (faciunt — scire debent) unde nunc faciunt, cum sciant vel scire

erit lex, sed legis corruptio ». — c. S. Augustini *Sermo* LXI, cap. VIII, *P. L.*, t. XXXVIII, p. 412. — *d.* I Tim. VI, 7.

a. C. 16, D. XCVI. — Sedulius, *P. L.*, t. CIII, p. 309 : « Porro, rex ostendet suam erga Deum voluntatem, si Dei ministris ac servis auxilium suppeditaverit, tunc enim magni regis dispensator, adjutor et protector efficietur ». — Jonas, *P. L.*, t. CVI, p. 291 : « Rex debet primo

et religiosorum sunt bona pauperum non divitum xvj q. i *Quoriam quicquid*[b]. Et ego dico tibi, quod quicquid ab eis recipis, non est nisi quedam extorsio, dant enim tibi et tuis ut alia bona sua conserventur illesa, sicut, si raptor intraret domum meam et darem sibi medietatem bonorum meorum ut secure possem retinere aliam medietatem et tamen per raptorem[3], per violenciam, fit rapina ergo, et cetera.

14. O domine mi rex, ex quo nunc benedictus Deus miraculose liberatus es a custodia illorum qui talia permiserunt, et remedium aliquod apponere noluerunt, adhuc tamen durant et fiunt omnia predicta mala ; hoc solummodo excepto, quod illi de curia tua non capiunt, ita communiter, bona ecclesiarum ut prius facere consueverunt. Sed audi, domine, si placet, mala que de novo fiunt, veniunt aliqui de familia tua ad nundinas cum una commissione, non ex parte Dei, sed diaboli, et capiunt oves et boves, vaccas et porcos pinguiores, quos poterunt invenire, contra voluntatem dominorum, et nichil solvunt, propter quod, omnes qui veniunt ad nundinas turbantur et moventur et etiam tota patria circumquaque. Vide modo, domine mi rex, in quo periculo tu es, propter hujusmodi facta. Venit unus pauper ad nundinas cum uno bove, precii unius marce, et debet unam marcam solvere ad certum diem sub amissione terre sue. Bos suus capitur a ministris tuis et nichil sibi solvitur, propter quod terram suam amittit quia non solvit debitum suum ad diem fixum. Aliqui etiam, quorum oves et boves capiuntur non solvunt debita sua creditoribus suis, ad diem certum, propter quod incurrunt perjurium, excommunicacionem, et reputantur falsi homines, et multa mala accidunt propter hujusmodi capciones. Immo tu teneris coram Deo ad omnia dampna illorum, certe sic est, ex quo talia fiunt, te sciente, et maxime[1], ex quo facientes

debeant, Cl., V. R. — [3] (per raptorem — ergo) violenter fit hujusmodi rapina, Cl., V. R.

14. — [1] (ex quo facientes hujus extorta) *om.* Cl., V. R., F.

defensor esse ecclesiarum et servorum Dei. » — Hugo de Sancta Maria, *P. L.*, t. CLXIII, p. 948 : « Egregii principis est ecclesias regni sui aedificiis venustissimis decorare. » — *b. C.* 67, *C.* XVI, *Q.* 1.

hujus extorta, habent litteras tuas sic faciendi. Adverte, domine rex, ad judicium datum contra regem David, in consimili facto, ut dicitur ij Regum xij : *Misit Dominus Nathan prophetam ad David: qui cum venisset dixit ei :* Responde michi judicium. *Duo viri erant in civitate una, unus dives, et alter pauper. Dives habebat oves, et boves plurimos, pauper autem nichil habebat, nisi unam ovem. Ille dives abstulit ovem pauperis. Iratus David indignacione adversus illum divitem, dixit ad Nathan : Ille dives est filius mortis et ovem reddet in quadruplum. Dixit autem Nathan ad David : Tu es ille vir*[a]. Cum ergo tu, domine rex, habes oves et boves, gallos et gallinas quasi infinitas, non solum aufers oves et boves ab uno homine, sed a multis, et, dato quod pauper mulier non habeat nisi unam gallinam, adhuc tu aufers illam, saltem per tuos servientes. Videris ergo tu qualiter Domino Deo tuo respondebis. Si autem in nundinis quis dives habet oves et boves pingues et ostendat litteras proteccionis tue, ipse potest oves et boves suos aliqualiter liberare.

15. O domine rex, erubesce et contremisce, quando a te petuntur hujusmodi littere proteccionis. Nichil aliud est dicere in effectum ; nisi, domine rex, non a regendo, sed a rapiendo concede michi litteras tuas, scilicet, proteccionis ne quis de familia tua capiat bona mea contra meam voluntatem, cum quilibet de mundo de jure communi debet hoc habere. Item, illi de familia tua, capiunt de foresta de Wyndesore et locis vicinis, homines, carectas, et equos pauperum, et compellunt eos recedere a domibus propriis, per X leucas, et ibidem cariare boscum, non solum per tres vel quatuor dies, sed per multos, et pro labore solvere promittunt, sed [f. 137r] nichil solvunt. Et propter hujusmodi facta diabolica, terre pauperum non coluntur, nec seminantur, nec habent pauperes aliqua bona per que possunt hujusmodi onera sustinere, et ideo clamant ad Deum, unde clamor eorum ascendet ad Deum, sicut clamor filiorum Israelis ascendit ad Deum quos gravabant Egipcii sub labore, ut dicitur Exo. ij. in fine capituli ; talis duricia ut dicitur, non fiebat (eis) tempore patris tui.

a. II Reg. XII, 1-7.

16. [1]O domine mi rex, scire debes quod iiij[or] sunt peccata que clamant ad Deum de terra, videlicet homicidium, Gen. iiij. ait Dominus ad Caym : *Maledictus eris super terram, ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*[a]. Item, innocencium oppressio, Exod. ij : *Ascendit clamor filiorum Israelis ad Deum quos gravabant Egipcii sub labore*[b]. Item, detentio mercedis mercenariorum, Jacob ultimo : *Ecce merces operariorum vestrorum que fraudata est a vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini introivit*[c]. Item, peccatum contra naturam, Gen. xviij : *Clamor Sodomorum et Gomorreorum multiplicatur coram me*[d]. Et dico tibi regi quod omnia predicta peccata, clamant ad Deum, contra te. Prius[2] homicidium, Eccli. xxxiiij : *Panis egencium, vita pauperum, et qui defraudat illos, homo sanguinis est ; et qui offert in sudore panem desudanti cibos, est quasi qui occidit proximum suum*[e]. Sed tu, per ministros tuos, per multimodas commissiones eis factas, aufers a subditus tuis panem, cerviciam, avenam, fenum et alia innumerabilia propter que multi morientur. 2° innocencium oppressio, et 3° mercedis operariorum detencio. De hiis satis patet in gravaminibus supradictis, et totus populus hoc clamat. 4° peccatum contra naturam, nam quodammodo contra naturam est ut frater insurgat contra fratrem, Mat. xxiij : *Unus est pater vester qui in celis est*[f]. Et Augustinus : Filii Dei sumus[g]. Et j[a] Joan. iij : *Videte qualem caritatem dedit nobis pater ut filii Dei nominemur et simus*[h]. Item, officium regis est malos opprimere et bonos sublevare, et ut boni inter malos quiete vivant[i], et dicitur ij Regum vij quod David fuit rex positus pascere gregem populi Dei, non spoliare, sed tu, per commissiones tuas, opprimis bonos, et malos sublevas et defendis, et sic, facis contra naturam officii regis, nam rex dicitur qui regit populum sapienter, rem publicam utiliter, et seipsum

16. — [1](O domine mi rex — sicut illi de familia tua, § 17) *om.* F. — [2]primo, Cl., V. R. — [3]immo, Cl., V. R.

a. Gen. IV, 10, 11. — *b.* Exod. II, 25. — *c.* Jac. V, 4. — *d.* Gen. XVIII, 20. — *e.* Eccli. XXXIV, 25, 26. — *f.* Matt. XXIII, 9. — *g.* S. Augustini *Sermo* CVII, cap. II, *P. L.*, t. XXXVIII, p. 387. — *h.* I Joan. III, 1. — *i.* Jonas, *P. L.*, t. CVI, p. 290 : « Regale ministerium est, ut pacem et concordiam habeant studere » ; — Smaragdus, *P. L.*, t. CII, p. 947 ; — Hincmarus, *De regis persona*, *P. L.*, t. CXXXV, p. 8 ; —

innocenter[j]. Debet quidem rex regere populum sapienter, Ecc. x : *Judex sapiens judicabit populum suum.* Et dicitur ibidem, quod *rex insipiens peribit per populum suum.* 2° debet regere rempublicam utiliter, quam tu[n]c utiliter regit quando non propriam set communem utilitatem attendit. Legitur de Romanis quod cum pugnabant pro gloria adquirenda et pro libertate assequenda et pro republica conservanda tunc semper adversarios vincebant. Sed quando ad rapinam et avariciam se converterunt, semper tunc victi fuerunt. 3° debet rex seipsum regere innocenter, ut, scilicet, sit immunis ab illis viciis que in aliis reprehendit, ne sibi dicatur illud Roman. ij : *In quo enim judicas alterum teipsum condempnas*[k]. Unde Ysid. libro iij° de summo bono[l], dicit quod rex vocatur a recte agendo, ideoque[3] recte faciendo, regis nomen tenetur, peccando etiam amittitur. Recte ergo illi reges vocantur qui tam semetipsos quam sibi subjectos bene regendo modificare noverunt.

17. O domine, mi rex, sicut illi de familia tua faciunt multa mala sic modo de novo[1], illi qui sunt de familia filii tui, in partibus Wyndesore faciunt consimilia, et destruunt pascuas et pasturas, cum pecoribus suis et nichil solvunt, et multa mala inferunt hiis diebus. Expellunt etiam equos, oves, et boves et

17. — [1] (sic modo de novo — auferunt etiam a viduis) *om.* Cl.,

Alcuinus, *Epist.* XI, *P. L.*, t. C, p. 157. — *j*. S. Augustinus, *In enarratione* ad ps. XLIV : « Quo modo sacerdos a sanctificando, ita et rex a regendo », *P. L.*, t. XXXVI, p. 504 ; *De duodecim abusionibus saeculi* (in operibus, S. Cypriani), *P. L.*, t. IV, p. 878 ; — S. Isidorus Hispalensis, *Etymol.* IX, cap. 3, *P. L.*, t. LXXXII, p. 341 ; — Hincmarus, *De divortio Lotharii quaestio*, *P. L.*, t. CXXV, pp. 757, 759 ; — Jonas Aurelianensis, *P. L.*, t. CVI, p. 287; — Alcuinus, *P. L.*, t. C, p. 159 ; — Johannes Saresberiensis, *Polycraticus*, L. VIII, cap. 17; — Smaragdus, *P. L.*, t. CII, p. 943; — Sedulius, *P. L.*, t. CIII, p. 296; — Vincentius Bellovacensis, *De moribus principum*, cap. XI ; *Speculum Doctrinale*, cap. VIII ; — Bracton, III, IX, § 3 (Twiss., p. 1076) : « Dicitur enim rex a bene regendo, et non a regnando, quia rex est dum bene regit, tyrannus dum populum sibi creditum violenta opprimit dominatione » ; — Aegidius, *De reg. princ.*. lib, II, cap. 7. « Est regis officium ut suam gentem regat et dirigat in debitum finem, quod ipsum nomen ostendit. Nomen enim regum a regendo sumptum est » ; — Wright *Political Songs*, *Rolls Series*, t. II, p. 231 :

O rex, si rex es, rege te, vel eris sine re rex,
Nomen habes sine re, nisi te recte regas.

j. Eccli. X, 1, 3. — *k*. Rom. II, 1. — *l*. S. Isidori Hispalensis *Sententiarum*, Lib. III, cap. XLVIII, p. 719.

cetera animalia pauperum, de domibus suis, et ibi collocant animalia tua et animalia filii tui. Capiunt avenam, fenum et fabas et garbas, invitis dominis rerum, et modicam solvunt pecuniam, quibusdam aliquid, aliis nichil solvunt, et multa alia mala faciunt[2], auferunt etiam a viduis, orphanis, pauperculis mulieribus, et etiam ab aliis, gallinas ex quibus sustentacionem habebant, et promittunt solvere unum denarium pro gallina, licet una valeat duos denarios, faciunt etiam et illas jurare quod dicent quot habeant gallinas, ut eis eligant, quas duxerint eligendas. Hec sunt notoria in partibus de Wyndesore. De occultis nichil ad presens.

18. Et tu, domine rex, nisi aliter facias ordinari, timendum est, de amissione regni tui. Juxta illud Ecc. x : *Regnum a gente in gentem transfertur propter injusticias, et injurias, et contumelias, et diversos dolos*[a]. Et promitto tibi, domino regi, ex quo talia fiunt auctoritate et defensione tua, quod nisi racionabiliter predicta facias emendari, tu punieris eternaliter et filius tuus similiter, quamvis adhuc sit innocens, si contingat ipsum post te regnare, saltem temporaliter punietur, vel forte, ante, nisi premissa emendentur cicius. Nam Augustinus dicit[b] : Si in ignem mittitur qui non dedit rem propriam pauperibus, ubi putas mittendus est qui invasit vel rapuit alienam ? Si cum diabolo ardere habet, si nudum non vestivit, ubi putas assurus est qui exspoliavit ? Remota justicia, quid sunt regna nisi q[ue]dam magna latrocinia ? Ideo Alexandro Magno, quidam comprehensus, respondit, cum ab eo interrogaretur quare fecerat latrocinium in mare et ipse respondit ei : Quia tu facis latrocinium per orbem terrarum. Sed quia ego facio uno navigio, vel duobus, latro vocor, sed tu facis, quasi per omnem locum, ideo, tu vocaris magnus imperator.

19. Et punitur filius quandoque pro delicto patris, iij Regum xxij : *Factus est sermo Domini ad Helyam dicens : Nonne vidisti Achab humiliatum coram me ? Quia igitur,*

V. R. — 2(auferunt etiam — hec sunt notoria) *om.* F.

a. Eccli. X, 8. — *b*. S. Augustini *Sermo*, LXXVII, *P. L.*, t. XXXIX, p. 1896.

humiliatus est causa mei, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui, inferam malum domui ejus[a]. Nec ignorancia excusat eum a delicto patris, maxime cum ex eo utilitas deferatur ignoranti, veluti si quispiam de latrocinio vel rapina filio suo ignoranti divicias congregat, non excusat filium ignorancia, quin post mortem patris cogatur reddere male adquisita. Item, peccato Achaz[b] plebs Israelita in manus hostium tradita est; et peccato filiorum Hely populus in manus Philistinorum corruit[c]. Item, Giezi delinquente, lepra transmittitur in posteros[d]. Item, Achab peccante, posteri ejus regni solium amiserunt, et cetera[e]. Et aliquando puniuntur parvuli corporaliter, pro delictis parentum, et aliquando filius cicius moritur de delicto patris, ij Regum xij, ubi dicitur quod David peccavit, sed penituit dicens: *Peccavi Domino*. Et ideo Dominus per Nathan prophetam dixit ei: *Non morieris, sed filius qui natus est tibi morte morietur. — Percussitque Dominus parvulum suum et mortuus est*[f]. 1... q... iiij... extra *de penis* c. *in quibusdam*[g] *et de usura* e. *usurarum*[h].

20. O domine mi rex, nunc de novo gravamine introducto per illos qui sunt de familia tua. Venit aliquis precursor, ad providendum in aliqua villa rurali, pro xx vel xxx equis et pro tot garcionibus qui sunt de familia tua, et portat secum unam cedulam signatam quodam sigillo ignoto saltem illis de parochia illa, nec dicitur in illa littera de numero garcionum et equorum quot admittere debent. Illi de parochia, timore ducti, quia non audent resistere, admittunt eos, et circa eos faciunt graves expensas, ut fecerunt tempore patris tui, et parochiani propter magna gravamina eis illata, conveniunt cum illo precursore, et sociis suis, quod recedant et dabunt eis dimidiam marcam vel v solidos vel xl[a] denarios. Nichilominus remittunt eis omnes expensas quas fecerunt. Die sequenti, vel 2° die, venit alius precursor, cum quadam cedula ut prius signata, quod fiat provisio pro garcionibus et equis qui sunt de familia domine regine, vel sororis domini regis. Illi garciones

a. III Reg. XXI, 28, 29. — *b*. II Par. XXXVIII, 19 et seqq. — *c*. I Reg. IV, 9 et seqq. — *d*. IV Reg. V, 27. — *e*. III Reg. XXI, 29. — *f*. II Reg. XII, 13, 15. — *g*. *C*. In quibusdam, **X**, De poenis (V, 37). — *h*. *C*. Usurarum, De Usuris, in VI° (V, 5).

cum equis sunt graviores quam primi fuerunt. Illi de parochia conveniunt cum eis, pro aliqua summa pecunie ut recedant. Recepta pecunia, aliqui eorum recedunt, et aliqui eorum nichilominus remanent, et capiunt avenam, fenum et cetera, et nichil solvunt, et hoc faciunt quod latrones non facerent post convencionem cum eis factam. De certo, aliquando, ut dicitur, contingit quod habet aliquis talis commissionem ad unam villam pro garcionibus et equis, alius ad aliam villam, 3[us] habet commissionem ad terciam villam, et sic deinceps. Et quia, ut communiter, illi garciones sunt maliciosi et quasi nichil recipiunt a magistris suis, et vellent libenter lucrari aliquid, quid per fas quid per nefas, colligunt se omnes simul, et veniunt primo ad unam villam et ostendunt unam commissionem, et virtute illius commissionis capiunt avenam, fabas, esculenta et poculenta et multa alia bona, quid per violenciam, quid per timorem, quid per amorem talem qualem, quia simplices homines unius ville ruralis non audent eis resistere propter multitudinem eorundem et cum sic fecerint in una villa, recedunt et veniunt ad aliam villam, et ostendunt illam commissionem, et consimiliter ibi faciunt, et sic deinceps.

21. Deinde, venit aliquis cum una commissione ad providendum de litera, feno, avena et ceteris hujusmodi, et ecce quam injuriam [1] facit illis de parochia ; capit x vel xij carectas litere, et pro qualibet carecta dicit se tantum velle solvere vj denarios pro litera et cariacione, et hoc satis modicum foret pro cariacione tantum, et tamen, nichil solvit nec distinguit de bona litera et debili quia tantum dicit se velle solvere pro debili litera sicuti pro bona, et hoc non est justicia, et sic de feno. De avena autem, quando capit xx quarteria, dat talliam pro xvij quarteriis, et adhuc illi de parochia cariabunt per iiij[or] vel v leucas, et forte, pro labore nichil habebunt. Que est ista justicia sive equitas ? Juxta illud Ysa. lix. *Justicia longe stetit : quia coruit in platea veritas, et equitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in oblivionem*[a]. Tot commissiones non fiebant tempore patris tui, et tam brevi tempore.

21. — [1] offensionem, Cl., V. R.

a. Isai. LIX, 14, 15.

22. Sed dicitur a quibusdam, quod quidam veniunt cum falsis commissionibus, sed quia homines rurales sunt timidi, nec audent incurrere offensam tuam, obediunt commissionibus quibuscunque, et ideo, propter hujusmodi commissiones multimodas, amittunt literam, fenum et avenam et multa alia bona hiis diebus, et de hoc, fit magnus clamor populi, in partibus de Windesore, ubi traxisti originem[a], quamvis racione originis tue, deberes illis magis parcere quam aliis, qui alibi morantur, quia pocior debet esse causa[1] originis quam alterius loci[2]... G. *prescripcio*[b].

23. O domine mi rex, nunc audi aliud gravamen novum. Tempore patris tui, quando morabatur pater tuus in uno loco, extra virgam, id est, ultra xij leucas, non gravabantur aliqui, per aliquos de familia sua, sed hodie, veniunt illi de familia tua, ultra illas metas et sic, multis modis plus gravatur populus nunc per te et tuos, quam fuerat gravatus tempore patris tui. Unde, potes dicere illud quod dixit rex Roboam populo iij Regum xij : *Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego addam jugo vestro : pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cedam vos scorpionibus, scorpionibus* [sic][a].

24. Sed vide ibi, quid accidit illi regi. Nam, et garciones cum equis dominorum suorum, ad villam ruralem venientes, quanto[1] a tua curia sunt remociores tanto ad mala perpetranda sunt proniores[2], et si iiij^{or} garciones cum iiij^{or} equis evenerunt ad unam villam ruralem, et ibi steterint per iiij^{or} vel v dies, ipsi adquirent pro equis suis, in dicta villa, a diversis hominibus, viij vel x quarteria avene, quid per dona, quid per violenciam, quid propter timorem. Non dicunt dominis suis

22. — [1] locus, Cl., V. R. — [2] alius loci Cl., V. R.

24. [1] (quanto remociores... tanto) quam... tantum, D. — [2] promp-

a. Adami Murimutensis, *Continuatio Chronicor.*, p. 20 : « Anno Domini MCCCXII, scilicet XIII° die novembris, Isabella regina peperit regi filium apud *Windelesore*... qui postea regnavit, et vocatus est Edwardus tertius a conquestu. — *b.* **X**, De praescriptionibus (II, 26).

a. III Reg. XII, 14.

quod frangunt ostia, pro feno, et avena, et illud quod deterius est dant equis[3] dominorum suorum, et vendunt de avena, id quod plus valet, et sic aliqualiter decipiunt dominos suos nec mirum, quia, ut communiter, domini nolunt habere aliquos[4] garciones, nisi sciant vivere de rapina. Et postmodum garciones cum equis recedunt, nec aliquid solvere volunt.

25. Vix est unus, in tota curia tua, qui vult solvere quod justum fuerit, pro garcionibus et equis suis. Et ecce exemplum, in paucioribus via major. Unus garcio de curia tua, veniet cum uno equo domini sui, ad villam ruralem, eligit sibi forte meliorem domum totius ville, petit literam pro equo suo. Liberatur sibi litera que valeret, Londoniis, vj denarios vel iiij denarios, et in eadem villa valet ad minus j denarium. Similiter, liberatur sibi fenum pro die uno, quod bene valet ij denarios, in eadem villa ; dimidium bussellum avene precii ij denariorum. Garcio vult habere pro se ignem (et pro equo suo) precii j denarii vel ij denariorum, ipse vult habere esculenta et poculenta meliora, forte unam gallinam. Ita quod dominus domus, plus solito et debito, expendet racione more sue [sic] in esculentis et poculentis ad estimacionem viij vel x denariorum. In crastino, quando debet recedere, pro litera nichil solvit, nec pro lecto suo, nec pro igne ; pro feno, solum unum denarium solvit, pro avena j denarium, pro esculentis et poculentis j denarium et obolum, quia non plus recipit a magistro suo, et sic, facta computacione, non solvit medietatem expensarum suarum.

26. Sed si omnes garciones tue curie sic facerent, adhuc aliqualiter bonum esset, quia melius foret habere aliquid quam nichil. Ceteri garciones tue curie non sunt ita curiales. Nec mirum, quia posui exemplum de garcione qui melius et honestius se habet. Et sic, forte posset dici de hominibus tue curie quod dicitur Gen. xviij et xix, quod facta inquisicione in quinque civitatibus de hominibus justis non inveniebatur,

tiores, Cl., V. R. — [3] partem dant equis, Cl., V. R. — [4] *om.* Cl., V. R.

nisi unus tantum, scilicet, Loth, et ideo[1] oportet necessario quod aliter de tua familia ordinetur alioquin timendum est de te et de ruina curie tue, etc., ut dicitur in predictis capitulis Gen. xviij et xix. O domine mi rex, tot commissiones facere, nichil aliud est quam fures et latrones tue curie in suis erroribus sustinere, viduas et pauperes, hospicia tenentes, opprimere, ut superius est premissum. Cum tamen ad officium regis pertineat, furta cohibere, malos opprimere, et bonos sublevare, ut sic mali coherceantur et boni inter malos quiete vivant xxiij q. v. *non frustra* et c. *regum*[a].

27. Ad hoc faciendum, facilem viam tibi trado, sine qua non es in numero salvandorum ; ut sine mora, facias statui et etiam proclamari, ut nullus de familia tua, nec alius quicumque, aliquid capiat de bonis alicujus contra suam voluntatem. Quod si fecerit, suspendatur. Quia melius est, ut quis, hic, pro delicto suspendatur, quam quod in infernum demergatur. Quia non judicat Deus bis in id ipsum xiij g. ultimo capitulo[a], xiiij g. vj. *si res aliena.* Et non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum et est unum de preceptis Dei, Exo. xx : *Non desiderabis bovem vel asinum proximi tui contra ejus voluntatem nec cetera bona que illius*[1] *sunt*[b]. Et dicitur x d' capitulis i et ij[c] : Quod lex imperatorum non est super legem Dei, sed subtus, et non licet imperatori, nec cuiquam alteri, aliquid presumere contra Dei mandata.

28. Item, dicitur Exo. xxij : *Si quis leserit agrum, vel vineam vel dimiserit jumentum suum, ut depascatur, quicquid habuerit optimum in agro suo, vel vinea, pro dampni estima-*

26. [1] (et ideo oportet — timendum est) atque nisi aliter ordinetur de tua familia, timendum est Cl., V. R., F.

27. [1] alterius, Cl., V. R.

a. C. 18, *C.* XXIII, *Q.* 5.

a. C. 1, *C.* XIV. *Q.* 6. — *b.* Exod. XX, 17. — c. *C.* 1, 2, *D.* X. ; — Hincmarus, *Epistola ad episcopos de institutione Carolomanni*, cap. VIII, *P. L.*, t. CXXV, p. 835 ; — Smaragdus, *P. L.*, t. CII, p. 933 ; — Jonas, *P. L.*, t. CVI, p. 295; — Sedulius Scotus, *P. L.*, t. CIII, pp. 294, 295, 329 ; — Hugo de Sancta Maria, *P. L.*, t. CLXIII, p. 941.

cione, restituet[a]. Ergo tu, rex, teneris ad estimacionem dampnorum que fiunt per tua pecora in pascuis et pasturis aliorum. Item, vidue et pupillo et pauperibus non nocebis, quod si feceris, clamabunt ad Deum et ipse exaudiet eos. Quot sunt ergo vidue et pauperes hiis diebus contra te ad Deum clamantes et cetera, viij d' *que contra mores* in fine capituli[b].

29. Nonne tu, rex, astrictus es obedire preceptis Dei sicut unus rusticus ? Certe sic, et in tantum plus, in quam plura a Deo recepisti, juxta illud Gen. xxxix[a]. Debes cogitare quod omnia bona tua habes a Deo. Absit ergo, quod quicquam faceres, contra ejus voluntatem, sicut fecit Joseph qui reduxit ad memoriam beneficia sibi collata a Domino suo, et ideo nichil voluit facere in ejus prejudicium. Unde dicitur de rege Saule, i Regum xv : *Pro eo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex*[b].

30. Item, dicitur Luc. x : *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et proximum tuum, sic teipsum*[a], sed non diligis proximum tuum, ex quo capis res ejus, contra suam voluntatem, nec diligis Deum. Juxta illud j Jo. iiij : *Si quis dixerit : Deum diligo, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem quem videt, quomodo potest diligere Deum quem non videt*[b] ? Et dicitur j Jo. iij : *In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum, non diligit Deum*[c]. Item, adverte, rex, quid dicitur Mat. v : *Si velis offerre munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te ; relinque ibi munus tuum, et vade prius reconciliari fratri tuo ; et tunc veniens, offeres*[1] *munus tuum*[d].

30. [1] (veniens offeres) venies offerre, Cl., V. R.

a. Exod. XXII, 5. — *b*. *C*. 2, *D*. VIII.

a. Gen. XXXIX, 9 : « nec quidquam est non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi... quomodo ergo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum ? » — *b*. I Reg. XV, 26.

a. Luc, X, 27. — *b*. I Joan. IV, 20. — *c*. I Joan. III, 10. — *d*. Matt. V, 23, 24.

31. Sed quot sunt homines hodie, in terra ista, qui causas habent contra te coram summo Deo? Certe, fere infiniti homines, quibus capiuntur [1] bona contra eorum voluntatem. Et ideo, vade prius reconciliari fratribus tuis et tunc offeres Deo munera placabilia et [f. 139] nunquam ante. Qua ergo audacia, qua temeritate episcopi et ceteri prelati et etiam sacerdotes accedere possunt ad altare ad conficiendum illud venerabile sacramentum, scilicet corpus Christi, qui per suos ministros talia commiserunt [2], vel committi permiserunt, et non impediverunt? Nam, qui permittit aliquid fieri quod posset impedire, ne fieret, per ipsum, est ac si ipse fecisset, Extra libro vj, titulo *de regulis juris regula,* qui permittit [a]. Vere, tales non possunt illud venerabile sacramentum, scilicet corpus Christi, conficere vel sumere, nisi ad eorum dampnacionem juxta illud iª Cor. xj [b]: *Qui manducat et bibit corpus Christi et ejus sanguinem indigne judicium sibi manducat et bibit.* Certum est quod auctoritas regis non poterit eos excusare, de... se d'... ij *timorem* [c]; ix d' *quicunque* [d] et c. *imperium* [e].

32. In hiis enim, que sunt contra preceptum Dei, non est regi obediendum, sed resistendum, et qui sic fecerit grande premium sibi adquirit. Sed contra preceptum Dei est, aliquid capere, contra voluntatem venditoris ut superius est premissum, et ideo, vos prelati, sacerdotes, comites, barones, milites et alii quicunque qui similia commisistis, seu qui, scienter, hujusmodi committi permisistis, restituatis eo modo quo poteritis quicquid ab aliis ultra rerum valorem contra voluntatem venditorum per vestros ministros temere recepistis, et tunc, penitencia ducti [1], forte accedere poteritis ad altare.

31. [1] (sed quot sunt — capiuntur) sed quot sunt homines in terra ista a quibus capiuntur, Cl., V. R. — [2] (vel committi permiserunt — vere tales non possunt) *om.* Cl., V. R., F.

32. [1] peracta, Cl., V. R.

a. R. qui facit per alium, De Regulis Juris, in VIº (*R.* LXXII). — *b.* I. Cor. XI, 29. — *c. C.* 25, *D.* II, *de cons.* — *d. C.* 4, *C.* XII, *Q.* 2. — *e. C.* 5, *D.* X.

33. Mirum est quod aliqui prelati, sane mentis, hujusmodi factis consenserunt, cum et ipsi tenebantur reprehendere regem, et quemcunque alium, talia facientem et precipue proprios servientes. Juxta illud Eze. iij et xxxij : *Si non annunciaveris impio ut avertatur a via sua impia, et vivat : ipse impius in impietate sua morietur, et sic, sanguinem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annunciaveris impio et ille non fuerit conversus ab impietate sua et a via sua impia*[a]. Extra *de of. ord'*. [irrefragabili] capitulo ultimo[b], ipse quidem morietur, tu autem animam tuam liberasti. Nam culpe subditorum imputande sunt negligencie prelatorum quando prelati sunt negligentes circa correccionem eorum ; et facientis habet culpam, qui quod potest corrigere negligit emendare, nec caret scrupulo societatis oculte qui manifesto facinori desinit obviare, et error est cui non resistitur[c], LXXXVJ d'... *inferiorum*[d], et capitulis ; *facientis*[e], ij *negligere* LXXXIIJ. d... *error approbatur*[f]. Et ideo prelatus debet procedere contra quemcumque spoliantem alium bonis suis[1]. Quod si non audeat hoc facere, debent omnes episcopi convenire, et per litteras suas excommunicare illum potentem donec reddat aliena. Debent etiam episcopi ad solum Deum, et ad salutem populi, habentes respectum, omni tepiditate semota, firmiter ad pacem tenendam mutuum sibi consilium et auxilium prebere. Hoc neque pretermittant alicujus odio vel amore, xxiiij q. iij. *si quis de potentibus,* x[g]. c. d'... *precipimus*[h].

34. O domine mi rex, illud prerogativum, quod tu dicis, te habere, scilicet emendi res aliquas pro minori precio quam venditor velit eas dare, inducitur ad tui dampnum et malum quia hujusmodi prerogativum expellit caritatem, et *Deus caritas est,* ut dicitur j[a] Jo. iiij[a]. Cum nemo desiderat adventum tuum propter hujusmodi empciones et non est aliquis in regno

33. [1] (contra quemcumque — bonis suis) contra quamcumque potestatem stare que alium bonis suis privat, Cl., V. R.

a. Ezec. III, 18, 19. — *b. C.* Praesenti prohibemus, De offic. ordinarii, in VI° (I, 16). — c. *C.* 5, *D.* LXXXIII. — *d. C.* 1, *D.* LXXXVI. — *e. C.* 3, *D.* LXXXVI. — *f. C.* 3, *D.* LXXXIII. — *g. C.* 21, *C.* XXIV, *Q.* 3. — *h. C.* 11, *D.* XCI.

a. I Joan. IV, 11.

tuo qui plus indiget diligi quam tu rex. Si ergo velis conservare regnum tuum tibi, et filio tuo, oportet quod facias te diligi a populo, sed nunquam diligeris a populo, dummodo capere volueris res aliquas, leviori precio, quam venditor velit eas dare. Et ideo, nulla patria desiderat adventum tuum, nisi fuerint Londinienses ubi non emis res aliquas pro minori precio quam venditor velit eas dare. Sed si emere volueris ut quidam extraneus, et incontinenti justum precium solvere, tunc adquireres dileccionem populi, et tunc, populus rogaret Deum, quod ad eos singulis annis declinares. Nunc, apud te judices utrum commodius, utilius et honestius foret tibi, quod populus rogaret Deum pro te et de tuo adventu gauderet et de recessu tuo doleret quam contra.

35. Et, domine rex, scire debes, quod tu non es imperator qui statuere poteris tale jus emendi res aliquas pro minori precio quam alius. Sed tu es rex Anglie, tenens totum regnum Anglie, in feodo ab ecclesia Romana. Quia scis, vel scire debes, quod rex Anglie, ab inicio non recognoscebat aliquem superiorem se, in temporalibus, sicut nec rex Francie. Sed postmodum, totum regnum Anglie, factum fuit censuale et de feodo Romane ecclesie, quia Johannes quondam rex Anglie fuit, filius regis Henrici senioris, qui Johannes successit in regno regi Ricardo fratri suo, tempore pape Innocentii iij. Qui etiam recepit ab ecclesia Romana in feodo totum regnum Anglie, propter quod ecclesia Romana contra rebelles suos astitit et ad ipsum juvandum et manu mittendum in regno Anglie misit quendam cardinalem legatum in Angliam specialem[a]. Extra, *qui filii sunt leg...*[b].

36. Et dato quod tu esses imperator, adhuc non desidera-

a. Matt. Paris., t. II, p. 235 : « Convenerunt apud Doveram decima tertia die Maii, videlicet die Lunae proxima ante Ascensionem Domini, Rex et Pandulfus, cum comitibus, baronibus et turba multa nimis, ubi in... pacis formam unanimiter consenserunt. » — *Ibid.*, p. 236 : « Convenerunt iterum rex Anglorum et Pandulfus cum proceribus regni apud domum militum Templi juxta Doveram, decimo quinto Maii, in vigilia scilicet Dominicae Ascensionis, ubi idem rex juxta quod Romae fuerat sententiatum resignavit coronam suam cum regno Angliae et Hiberniae in manus domini papae, cujus tunc vices gerebat Pandulfus. » — Rymer, *Foedera*, t. I, pp. 111, 112. — *b*. *De officio legati*, in VI° (I, 13).

bis emere res aliquas contra voluntatem domini illarum rerum, quia digna vox imperatoris est, se profiteri legibus alligatum quia auctoritas sua dependet ex auctoritate legum[1], de legibus vel digna vox, et alibi dicitur, quod licet imperator non subjiciatur legibus, decet tamen sibi seipsum vivere secundum leges[a]. Et dato etiam, per impossibile, quod tu poteris sine peccato emere res aliquas pro minori precio quam venditor vellet eas dare, adhuc hoc facere non deberes propter dolorem et tristiciam quem tunc haberet [f. 139 v] populus ob causam illam de adventu tuo, ubicunque declinares.

36. [1] (ex auctoritate legum) et magis honestum est submittere principatum legibus, quam leges principatui *add.* Cl., V. R.

a. Johannis Saresberiensis *Polycraticus*, lib. IV, cap. 2 : « Princeps legis nexibus dicitur solutus, non quia ei iniqua liceant, sed quia is esse debet, qui non timore poenae, sed amore justitiae aequitatem habet. — *Ibid.*, cap. 4 : Procedant nunc dealbatores potentum, susurrent, aut si hoc parum est, publice praeconentur principem non esse legi subjectum.. ego non modo, his renitentibus, sed mundo reclamante, ipsa hac lege teneri confirmo » ; — S. Thomae Aquinatis *Summa Theol.*, Iª. IIªᵉ. Q. xcvi. art. 5 : « Princeps dicitur esse solutus a lege quantum ad vim coactivam legis ; nullus enim proprie cogitur a seipso ; lex autem non habet vim coactivam nisi ex principis potestate. Sic igitur princeps dicitur esse solutus a lege quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra legem agat... Sed quantum ad vim directivam legis princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur extra de Constitutionibus, cap. « *Cum omnes:* quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet. Et sapientis dicit auctoritas ». Et in codice Lib. 4 de Legibus et Constit. Theod. et Valentin. Impp. Volusiano praefecto scribunt : « Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri : adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas. Et revera majus imperio est subjicere legibus principatum... Unde quantum ad Dei judicium, princeps non est solutus a lege quantum ad vim directivam ejus, sed debet voluntarius, non coactus legem implere » ; — Bracton, *de Legibus*, III. ix. § 2, 3 : « Nihil enim aliud potest rex in terris cum sit Dei minister et vicarius, nisi id solum quod de jure potest... non quicquid de voluntate regis temere presumptum est, sed animo condendi jura, sed quod consilio magistratuum suorum, rege authoritatem prestante, et habita super hoc deliberatione et tractatu, recte fuerit definitum... Temperet igitur potentiam per legem, que frenum est potentie, quod secundum leges vivat. » — *Carmen de Bello Lewensi*, v. 448 et seqq. (C. L. Kingsford, pp. 15, 22.)

.... igitur hinc sciat qui legit,
Quod non potest regere qui non servat legem ;
Nec hunc debent facere, ad quos spectat, regem...

v. 455 : Si regnum desideras, leges venerare :
Vias dabit asperas leges impugnare.

v. 667-68 : Non omnis artacio privat libertatem,
Nec omnis districtio tollit potestatem.

37. Quis est ille christianus sane mentis, qui in veritate sciret, quod communitas populi doleret de suo adventu, et quod gauderet de suo recessu, quin maximum dolorem ob illam causam haberet. Mirum est etiam, qualiter poterit comedere [1] lete, vel bibere, seu pre pudore, coram populo comparere. Et audi, domine rex, quid dicitur iij Regum xxj et xxij [a]. Rex Achab locutus est ad Naboth dicens : *Da michi vineam tuam quia vicina est michi et prope domum meam. Daboque tibi pro ea, vineam meliorem, aut argenti precium quantum valet, vel digna est. Cui respondit Naboth dicens : Nolo tibi eam vendere. Venitque Achab in domum suam indignans et ait uxori sue quod Naboth noluit vendere sibi vineam suam. Dixitque ad eum uxor ejus : Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum. Surge et comede et dabo tibi vineam illam. Misit uxor ejus litteras ad opinatos, qui habitabant cum Naboth,* ut eum per falsos testes interficerent. Quod factum fuit. Venitque uxor illa ad Achab dicens : *Surge, posside vineam Naboth qui noluit eam tibi vendere. Non enim vivit Naboth, sed mortuus est. Quod cum audisset Achab Naboth mortuum, occupavit vineam ejus,* quam noluit vendere ei. *Statim factus est sermo ad Helyam Thesbiten dicens : Surge et descende in occursum Achab regis Israelis. Ecce ad vineam Naboth descendit ut possideat eam. Et loqueris ad eum dicens : Hoc dicit Dominus, in loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth lambent quoque tuum sanguinem.*. Sic, dico tibi, domino regi, quod propter multimodas injurias quas faciunt ministri tui pauperibus compelluntur pauperes vendere terras suas, et tunc in miseria moriuntur, et ideo, provideas tibi, ne consimile tibi contingat.

38. Et diligenter adverte, domine rex, quod illa prava consuetudo de emendo res aliquas pro minori precio quam venditor velit eas dare, inducta per predecessores tuos, in nullo poterit te juvare, quamvis mala consuetudo nisi cicius radicitus evellatur in privilegiorum jus ab ipsis assumitur et etiam

37. [1] (qualiter — comedere) quomodo possis, domine rex, comedere, Cl., V. R.

a. III Reg. XXI, 2-19.

observatur, ut dicitur viij *Si mala consuetudo*[a] tamen non poteris te tueri sub optentu talis consuetudinis quia diuturnitas temporis non minuit peccatum set auget, et tanto graviora sunt crimina quanto diucius infelicem animam detinent alligatam. Extra *de consue.* c. *cum tanto*[b] et Extra *de symonia* c. *Non satis*[c]. Et dicit Gregorius, in quadam homilia[d], quod usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem quia ubi diu sponte persistit, difficile est surgere a peccato, et cum culpa in usum jam venit animus debilius peccato resistit, quia quot vicibus prave frequentacionis astringitur tot vicibus ad mentem legatur. Vix enim remittitur aliqua prava consuetudo, et de introeuntibus in pravam consuetudinem intelligitur quod de Arrio legitur. Noscitur enim quanta pena sit Arrii, qui introduxit pravam consuetudinem. Unde Sapienc. iiij : *Omnes filii qui nascuntur ex iniquis, testes sunt nequicie, adversus parentes in interrogacione sua*[d]. Hoc est, qui introducunt pravas consuetudines tanto gravius punientur quanto plures habent sectatores et pravitatis sue defensores. Unde Sapienc. xiiij : *Convalescente iniqua consuetudine hic error tanquam lex custoditur*[e].

39. O domine mi rex, si predicta non poterint te movere, audi nunc, quid actum fuerit de bonis illorum qui utebantur illo privilegio. Nam tempore regis Henrici ultimi, omnimoda victualia, fenum, avena et omnia necessaria portabantur ad portam suam, quia ipse nichil capiebat contra voluntatem venditorum quia emit et solvit sicut unus de populo. Postmodum, tempore illius nobilis regis Edwardi avi tui, in principio regiminis sui, ut dicitur, nichil capiebat contra voluntatem dominorum rerum, usque ad xviij annum regni sui, et toto illo tempore, fuit pax et gaudium in regno isto, sed in xviij anno regni sui, incepit uti illo prerogativo diabolico, scilicet, capere oves, boves, fenum et avenam et alia multa pro minori precio quam venditor dare voluerit et tunc contra ipsum statim orta fuit guerra in Vasconia, Vallia et Scocia,

a. C. 3, D, VII. — *b*. *C*. Cum tanto, **X**, De Consuetudine (I, 4). — c. *C*. Non satis **X**, De Simonia (V, 3). — *d*. S. Gregorii *XL Homiliarum in Evangelia*, Lib. II, Homilia XXXI, *P. L.*, t. LXXVI, p. 1231. — *d*. Sap. IV, 6. — *e*. Sap. XIV, 16.

et usque ad mortem utebatur illo prerogativo maledicto, et ab eo tempore, nunquam fuit bona pax in terra ista. Sed quid accidit de omnibus bonis suis, post mortem suam ? Certe, ille occupavit quem minus dilexerat, videlicet, Petrus de Gavestone[a] qui per ipsum regem exulabat[1]. Nec mirum, quia multa bona per dictum regem, tempore suo male fuerant adquisita[2]. Postmodum, pater tuus utebatur, toto tempore vite sue, illo prerogativo maledicto, scilicet[3], quod capiebat res pro minori precio quam venditor vel dominus rerum eas voluit dare et ideo, qualem mortem pater tuus habuit et quis occupavit bona sua forte audisti. Nec mirum, quia multa mala, in terra ista, per suam fatuitatem et negligenciam contingebant.

40. Et dico tibi regi, quod si tu scires[1] illud quod ego scio, tu nolles uti illo prerogativo pro adquirendo toto regno Francie, Scocie, Arragonie et Hispanie, et melius esset tibi renunciare illi privilegio illicito quam adquirere omnia predicta regna, juxta illud Luc. ix et Mat. xvj : *Quid prodest homini si universum mundum lucretur animeque sue detrimentum paciatur?*[a]. Et libencius deberes amittere regnum, quam consentire quod de cetero servetur, vel permittatur fieri illud prerogativum, per quod amittis animam tuam. Juxta illud pocius debet quis omnia mala pati quam malo consentire. Et ego dico tibi regi, quod mallem quod tolleres de terra tua illud prerogativum diabolicum quam quod adquirerem michi[2] totum regnum Anglie, Francie et Scocie. Deus scit quod non mencior, et qualiter hoc est, quia salvacio unius anime, plus valet coram Deo, quam omnia regna [f. 140] mundi presentis. Et si tu, rex, utaris illo privilegio, dampna-

39. [1] exulatus fuerat, Cl., V. R. — [2](Nec mirum. — Postmodum) *om.* Cl., V. R. — [3] (scilicet quod — et ideo qualem) *om.* Cl., V. R., F.

40. [1] sciveris, Cl., V. R. — [2] (adquirerem mihi) acquireres, Cl., V.

a. Ad. Murimutensis, *Continuatio Chronicorum*, p. 9 : « Hoc anno (1306) dominus rex [Edwardus II] quemdam Petrum de Gaveston Vasconem abjurare regnum Angliae, quia dedit malum consilium filio suo, qui ipsum Petrum inordinata affectione dilexit. »

a. Matt. XVI, 26 ; Luc. IX, 25. — *b*. *C*. 1, *C*. XIV, *Q*. 6.

buntur anime multe, propter hujusmodi capciones, juxta illud : Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum xiiij q. iij. *Si res*[b]. Et te regem consulo, ob salutem anime tue, ut quantum tibi sit possibile, facias omnia bona restitui subditis tuis, que ab eis injuste per tuos famulos auferuntur. Sic enim fecit sanctus Edwardus, non pater tuus sed sanctus Edwardus, rex et martir. Legitur enim in vita sancti Edwardi regis quod idem Edwardus non vicit regem Norwagie in rapina pauperum, neque in thesauris pecunie, sed in gladio sanctitatis et in armis justicie. Unde, postquam jussit reddere pecuniam quam a suis carucis in Anglia acceperat, vidit ad missam, in altari, inter manus sacerdotis, in corpore Christi, quasi in speculo, regem Norwagie delapsum et dimersum in mare, postquam paravit navigium ut applicaret in terram Anglie devastandam [3].

41. Si autem tu, rex, sic feceris, scilicet [1], si juris prudencias observaveris, videlicet, si honeste vixeris, si neminemque leseris, et si unicuique quod suum est tribueris, tunc eris nobilis, et erit ista terra tua beata et benedicta propter tua beneficia, in conspectu Dei et hominum multum grata, et tunc victoriam de inimicis tuis optinebis. Juxta illud Ecclesiastic. x: *Beata terra cujus rex est nobilis*[a]. Et Ysa. lix : *Ecce non est abreviata manus Domini ut salvare nequeat*[b]. Ita curialis vult Deus esse tibi etiam, si tu benefeceris, sicut et tu aliis curialis es [2]. Et est primum signum nobilitatis, scilicet, gratitudo sive recognicio beneficiorum, et per contrarium, ingratitudo vel beneficiorum oblivio, signum est rusticitatis. Unde patet quod illi sunt ignobiles qui Deum inhonorant, scilicet, peccata committendo, qui eos pre ceteris hominibus honoravit, scilicet, honorem et nobilitatem presentis seculi eis ad mutuum

R. — [3] (in terram — devastandam) in Angliam, ad terram devastandam, Cl., V. R.

41. [1] (si juris — eris nobilis) *om.* Cl., V. R. — [2] (Ita curialis vult Deus esse tibi) si tu velis istos errores dimittere, quoniam omnem nobilitatem tibi concedet, Cl., V. R. ; (curialis... esse tibi) sicut fuit sancto Edwardo, si facias sicut ipse fecit. Et scire debes, quia tria sunt signa nobilitatis. F.

a. Eccle. X, 17. — *b*. Isai. LIX, 1. — c. Isai. I, 1. — *d*. Matt. V, 45.

largiendo. Unde dicitur Ysa. i : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*[c]. Et rustissimi sunt qui subditos suos opprimunt ex quorum operibus vivunt sicut per ministros tuos ante hec tempora tu fecisti. 2[m] signum nobilitatis est liberalitas, unde Deus, qui est nobilissimus et liberalissimus, qui non solum dat servientibus suis, sed etiam et suis hostibus, Mat. v : *Ipse enim solem facit oriri super bonos et malos*[d]. Et sicut liberalitas est signum nobilitatis sic rapina est signum rusticitatis. Unde, qui nobiles reputantur rustissimi sunt, cum non cessant rapere a pauperibus, quasi in vite bona, eis a Deo collata, vel mutuata, sicut per precursores tuos ante hec tempora tu fecisti et fieri permisisti. 3[m] signum nobilitatis est mansuetudo et misericordia[e]. Unde Seneca : Nullus debet esse magis clemens quam rex et princeps. Unde iracundissime ac pugnatissime sunt apes et aculeum in vulnere relincunt, rex autem apum non habet aculeum, noluit ipsum natura, nec sevum esse, nec ulcionem querere. In signum autem hujusmodi mansuetudinis inungitur rex ; unde dicitur iij Regum xx : *Reges Israelis clementes sunt*, et sequitur : *Egrediamur ad regem Israelis, forsitan salvabit animas nostras*[f]. Et in Psalmo dicitur : *Parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet*[g]. Mat. xj : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris*[h].

42. Et sicut mansuetudo in subjectos, est signum nobilitatis, sic crudelitas facta in eos[1], seu permissa fieri, est signum

42. [1] (sic — in eos) ita sevitia in eos, Cl., V. R.

— *e*. Sedulius Scotus, *P. L.*, t. CIII, p. 324 : « Qui bonus est princeps multis virtutum praeconiis adornatur, maxime vero clementia, mansuetudine, animae tranquillitate, nunquam recipiens tempestatem » ; — Guillelmi Peraldi, *De eruditione principum*, L. I, cap. 6 ; — Aegidii Romani *De regimine principum*, Lib. I, Part. I, cap. 12 ; *id.*, Part. II, cap. 25 ; « nullus est vere magnanimus, nisi sit bonus et humilis » ; — Hincmari *De ordine Palatii*, cap. II (Prou. p. 8) ; Joan. Saresb., *Polycraticus*, L. IV, cap. 4 ; — Bracton, Lib. III, cap. IX, § 3 ; — Carmen de Bello Lewensi, v. 716 et sqq. (C. L. Kingsford, pp. 23, 34.)

Vir prudens et humilis qui suos non ledat ;
Principis conterere non est, sed tueri ;
Principis obprimere non est, sed mereri
Multis beneficiis suorum favorem.

f. III Reg. XX, 31. — *g*. Ps. LXXI, 13. — *h*. Matt. XI, 29.

rusticitatis, sicut ante hec tempora fuerunt, et fecerunt hujusmodi mala tui precursores et tue curie garciones, ut patet in multis gravaminibus supradictis. O domine mi rex, audi et intellige quod *in diebus Noe homines edebant et bibebant; et ducebant uxores, usque in diem qua intravit Noe in archam : et venit diluvium, et perdidit omnes. Similiter factum est Loth, in diebus ejus etiam edebant et bibebant : emebant et vendebant* : *plantabant et edificabant : sed qua die exivit Loth a Sodomis, pluit Deus ignem et sulphur de celo et perdidit omnes,* ut dicitur Luc. xvij, et Gen. xix [a]. Similiter de Dathan et Abyron *cum tabernaculis suis et universa subjecta eorum descenderuntque vivi in infernum;* ut dicitur Numeri xvij [b]. Hec sunt de jure scripto et de antiquitate [2]. Sed videamus hiis diebus, nonne magnates quidam hujus terre edebant et bibebant, festa et coreas ducebant, et mirabilia faciebant, et subito capti et mortui sunt et sic festa et gaudia sua convertuntur in dolorem, juxta illud Amos. viij : *Convertam festivitates vestras in luctum et omnia cantica vestra in planctum,* et sequitur : *Qui cum eo sunt quasi diem doloris et novissima ejus quasi diem amarum* [c]. Et que causa hujus? Certe peccata. Et credo quod inter cetera peccata, illud est maximum, scilicet capere bona aliqua contra voluntatem dominorum. Nec mirum, quia tot sunt clamantes ad Deum, et impossibile est, preces multorum injuste lesorum, non exaudiri. Et Ecclesiastic. xxxv : *Deprecacionem lesi exaudiet Deus. Nonne lacrime vidue descendunt ad maxillam? A maxilla enim usque ad celum;* et sequitur : *Deus reddet vindictam* [d].

43. Et ecce mirabilia Dei que fiunt de ductoribus regis. Nonne Petrus de Gavestonia qui ducebat regem E[dwardum] quo voluerit etiam captus fuit et interfectus sine lesione aliorum [a]? Postmodum, Hugo Despenser, pater [b] et filius [c], sed

[2] (Hec sunt de jure scripto et de antiquitate) *om.* Cl., V. R.

a. Luc. XVII, 26-29; Gen. XIX, 25. — *b*. Num. XVI, 32, 33. — *c*. Amos VIII, 10. — *d*. Eccli. XXXV, 16, 18, 19, 23.

a. *Chronicon Galfridi le Baker de Swynebroke*, p. 5 : in loco qui dicitur Caveresich, XIX die mensis Junii (1312) fuit decapitatus; cujus corpus in ecclesia fratrum ordinis Praedicatorum de Langley, rex honorifice

forte deficiebat eis Spiritus Sanctus capti fuerunt et interfecti absque lesione aliorum. Nunc etiam ultimo, iste magnus dominus Roger le Mortimer, captus et interfectus est[d], eodem modo; licet olim quando magnus dominus deberet capi, multa solebant fieri [f. 140v] homicidia de communitate populi, et rapine solebant tunc fieri, quasi infinite. Sed potest esse causa, quia populus per eos multum gravabatur, nec inducebant regem ad servandum jus commune, scilicet, ut emeret res venales sicut extraneus, unde Augustinus : Justum est ut qui a potenciore vult juvari, adjuvet inferiorem in quo ipse est potencior. Et quia predicti sic non fecerunt, ideo forte, malum habuerunt finem, quantum ad mundum istum, bonum tamen finem forte habuerunt, quantum ad salvacionem animarum suarum[1]. Et nullum testamentum fecerunt, cum omnia bona sua amiserunt. Nec mirum, quia multa, ut dicitur, male adquisiverunt. Et ideo, moneo vos, ductores regis, ex parte Dei, ut ipsum bene et sapienter ducatis, saltèm ut ipse et illi de familia sua in empcionibus et vendicionibus, observent jus commune, nec contra voluntatem dominorum res capiant alienas, alias timere poteritis de ruina et etiam de vindicta. Ducatis ergo eum caute non quasi insipientes sed ut sapientes, redimentes scilicet animas vestras, quoniam dies mali sunt, propterea nolite fieri imprudentes intelligentes que sit voluntas Dei. *Nemo inanibus verbis vos seducet,* ut dicitur ad Eph. v.[e] Unde Hugo de Sancto Victore ait[f] : Dic michi ubi sunt modo amatores mundi qui ante pauca

43. [1] Unde Gregorius : mala que vos hic premunt, vos ad Deum ire convellunt, et sane infirmitati mee gracias ago que cogit me, non posse que non debeo velle *add.* F.

commisit sepulture. — *b.* Id., p. 24 : alligatus strenue brachiis et tibiis in longum protensis, et in ipsius viventis conspectu, viscera propria, de ventre inciso crudeliter extracta, ignibus traduntur, residuum quoque corporis, equis detractum, in communi furca latronum fuerat suspensum (1326). — *c.* Id., p. 25 : Hugo de Despenser filius, in vinculis oblatus oculis terribilibus indignati, non expectata ratiocinatione cujuscumque judicis, fuit ab eadem civitate, scilicet Hereford, tractus, suspensus, decollatus, et in quarterias divisus, cujus caput fuit missum ad pontem Londoniarum, et quatuor quarteria ad quatuor regni partes fuerunt distributa. — *d.* Id., p. 47 : Apud Westmonasterium, assidente regni parliamento, in vigilia Sancti Andree sequenti, tractus et suspensus, guerras intestinas per totam vitam suam crebro suscitatas, super communi furca latronum apud Elmes, sua morte finivit (1330). — *e.* Ephes. V, 6. — *f.* Hugo de S. Victore, *de vanitate mundi*, Lib. II, *P. L.*, t. CLXXVI, p. 712.

tempora vobiscum erant? Nichil ex eis remansit nisi cineres et vermes.

44. Attende diligenter quid sunt, vel quid fuerunt. Sicut tu, comederunt, biberunt, riserunt, duxeruntque in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descenderunt. Caro eorum vermibus, et anima cujuslibet eorum ignibus infernalibus deputatur, donec rursus infelici collegio collocati, involvantur incendiis sempiternis. Qui socii fuerunt in viciis, socii erunt in penis, una namque pena implicat, quos unus amor in crimine ligat. Nec mirum, quia plus dilexerunt mundum quam Deum. Unde Jac. iij : *Quicunque voluerit esse amicus hujus seculi, constituitur inimicus Dei, quia amicicia hujus mundi est inimica Deo*[a]. Quid ergo profuit illis inanis gloria? Brevis leticia, mundi pompa, carnis voluptas, false divicie, magna familia, et magna concupiscencia ? Ubi modo risus, ubi magna jactancia, ubi arrogancia? De tanta leticia, tanta tristicia; post tantam voluptatem, tam gravis miseria ; de illa exultacione ceciderunt in magnam ruinam, et magna tormenta. Apoc. xviij : *Quantum glorificavit se peccator et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum*[b]. Quicquid illis accidit, tibi accidere potest quia homo es, homo de humo, limus de limo, de terra es, de terra vivis, et in terram reverteris. Quando[1] veniet dies ultima que subito venit, et forsitan hodie erit. Certum est, quod morieris, sed incertum est quomodo, aut quando, vel ubi, quoniam ubique mors te expectat. Tu quoque si sapiens fueris[2], ubique eam expectabis[3]. Et ideo divites et amatores mundi possunt dicere illud Sap. v : *Viam Domini ignoravimus! Quid nobis profuit superbia? aut quid diviciarum jactancia contulit nobis? Transierunt autem omnia illa tanquam umbra, et tanquam precurrens nuncius, et tanquam navis que transit per aquam fluctuum : cujus non est vestigium invenire, aut avis que transvolat in aere cujus nullum invenitur vestigium. Sic et nos nati, continuo desivimus esse, et virtutis quidem signum nullum valuimus ostendere. In*

44. [1] Quoniam, Cl., V. R. — [2] saperes, Cl., V. R. — [3] expectares, Cl., V. R.

a. Jac. IV, 4. — *b*. Apoc. XVIII, 7. — *c*. Sap. V, 7-14.

malignitate enim nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hii qui peccaverunt[c]. Et dicit Isid. quod gloria hujus mundi modica est, caduca est, et fragilis temporalis potentia: Dic ubi sunt reges, ubi principes, ubi imperatores, ubi locupletes rerum, ubi potentes seculi, ubi divites mundi? Quasi umbra transierunt et velut cinis evanuerunt.

45. O domine mi rex, premissis auditis et intellectis, te moneo ex parte Dei omnipotentis et sancte ecclesie, et te deprecor ex parte populi tui Anglicani, quod in empcionibus et vendicionibus observari facias jus commune, videlicet, ut nullus de tua curia, nec alius quicunque, capiat res aliquas pro minori precio quam venditor voluerit eas dare, neque aliquis invito domino res aliquas capiat alienas. Juxta illud Ysa. lxj: *Ego Dominus diligens justiciam et odio habens rapinam*[a]. Et si in hoc audieris populum et hoc illi concesseris, habebis pacem in terra ista cum subditis tuis. Unde ait Cassiodorus in quadam epistola[b]: In hoc gracia regis extollitur et servatur, si in equitate pacis populum dirigat et in justicie vigore conservet, et decet regem custodire concordiam quoniam ad laudem gentis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid enim est quod regem vel principem melius decet vel ipsum predicet, quam quietus populus, concors servatus et tota respublica morum honestate vestita. Si autem populum tuum in hoc non audieris, veniet super te tribulacio magna et tunc dicere poteris illud Gen. xlij[c]: *Merito hec pacior quia peccavi in subditos meos videns angustiam illorum dum me deprecabantur et nolui eos audire, et idcirco venit super me tribulacio.* Et hoc accidit patri tuo; unde dicitur Sap. vj: *Audite reges et intelligite: quoniam data est nobis a Domino Deo potestas, qui interrogabit opera vestra et cogitaciones scrutabitur: et quia non custodistis legem justicie nec secundum voluntatem* [f. 141] *Dei ambulastis; cito apparebit vobis judicium valde durum*[d]. Et ideo, iterum te consulo et moneo, quod de cetero non utaris predicto maledicto prerogativo sicut fecerat pater tuus; juxta illud Levit. xviij et xix: *Nolite facere ea, que fecerunt*

a. Isai. LXI, 8. — *b*. Aurelii Cassiodori Epist. XXIII, *P. L.*, t. LXIX, p. 524. — *c*. Gen. XLII, 21. — *d*. Sap. VI, 2, 4, 5, 6. — *e*. Levit. XVIII,

hii qui fuerunt ante vos[e]. Nam quod iniquum est, non est faciendum. *Sed diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. Et ne obliviscaris Deum qui educit te de terra Egipti, de domo servitutis;* id est de custodia matris tue, ut dicitur Deuteronomio, vj[f]. Et provide tibi, de omni plebe viros sapientes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avariciam et, maxime qui senes sunt et prudentes, quia ut dicit philosophus in libro Ethicorum : Credendum est senibus ut auctoritati, non quia plura sciunt, sed quia plura viderunt, ut secundum eorum consilium gubernes regnum tuum et teipsum, et sic adquires dileccionem Dei et populi tui, *et precepta Dei poteris sustentare*[1], et tenere, ut dicitur Exo. xviij[g]. Et tunc erunt in hac terra, pax, legis observancia, hominum leticia, beneplacitum Creatoris, et donorum omnium creditoris. Que nobis concedat qui vivit et regnat per infinita seculorum secula. Amen[2].

Explicit epistola edita ad dominum E[dwardum] regem Anglie.

45. [1] sustinere, Cl., V. R. — [2] Premissis ut premitittur ordinatis videndum est primo qualiter predicta mala poteris emendare et sic pervenire ad numerum salvandorum, deinde videndum est qualiter debeas vivere et ad populum tuum te habere. *add.* F.

30. — *f.* Deut. VI, 5, 13. — *g.* Exod. XVIII, 21, 23.

SPECULUM REGIS

AUCTORE SIMONE ISLIP

II. RECENSIO B

[EX CODICE BODLEIANO 624]

SPECULUM REGIS

AUCTORE SIMONE ISLIP

II. RECENSIO B

[Ex codice Bodleiano 624]

SPECULUM REGIS EDWARDI III

CAPITULUM PRIMUM[1].

I. O Domine mi Rex : *Utinam saperes et intelligeres ac novissima provideres*[a]. Saperes, id est, cum sapore cognosceres Dei beneficia tibi collata. Et intelligeres, scilicet errores tue curie ; ac novissima provideres, scilicet, mortem tuam futuram et incertam, qualem, quando, et ubi, tu nescis[2] ; certe errores tue curie, coram summo Deo dampnabiles, omni festinacione qua poteris, ammoveres. Nam quamvis hodie sis rex, nescis tamen an die crastina rex remanebis. Job VIII : *Quia ventus est vita hominis*[b]. Proverbiorum XXVII : *Ne glorieris in crastinum : ignorans quid superventura pariat dies*[c]. Ecclesiastici X[d]:

I. [1] R., A., H[b] praemittunt sequentem prologum : O Domine, mi rex, circa salutem anime tue et de periculo tuo multa cogitavi et ea manu propria conscripsi, ex quibus aliqua narro tibi. Et nunc audi et ne spernas me, et in novissimis invenies verba mea. Unde appone cor tuum ad doctrinam meam, que tibi multum proderit, si bene servaveris eam in corde tuo. Nec habeas pro malo, si in aliquibus te publice corripiam, quia dicitur I ad Timotheum V° [v. 20] : publice peccantem *coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant*. Et Ambrosius dicit : Si quid vicii in amico cognoveris, corripe occulte ; si vero palam deliquerit, corripe palam et sapienter agis. [*De officiis ministrorum*, cap. XXII, § 127, *P. L.*, t. XVI, p. 180.] Proverbiorum XIII° [v. 18] : *Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam ; qui autem arguenti acquiescit glorificabitur*. Eccli. XIX [v. 5] : *Qui odit correpcionem, minuetur ejus vita*. Prov. IX [v. 8] : *Argue sapientem, et diliget te*. Prov. XXVIII [v. 23] : *Qui corripit hominem, graciam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per lingue decipit blandimenta*. Et secundum Gregorium ; Magna Dei ira est ut desit correccio et assit adulacio. His rationibus motus, et precipue, in Domino nostro Jesu Christo confidens, nuncio tibi infra scripta pro damno et periculo evitandis. — [2](ac novissima —

a. Deut. XXXII, 29. — *b*. Job. VII, 7. — c. Prov. XXVII, 1. — *d*. Ec-

Rex hodie, cras forte morietur; quum nichil cercius morte, nihil incercius hora mortis. Quia sicut[3] stella in celo coruscans velociter currit et repente deficit: et scintilla ignis cito extinguitur et in cinerem redigitur: sic cito finitur vita regis et cujuslibet alterius et in pulverem convertitur. Sapientie vii: *Nemo ex regibus aliud habuit nativitatis inicium: unus ergo introitus est ad vitam omnibus et similis exitus*[e]. Et vide, domine rex, et diligenter attende beneficia tibi a Deo collata: videlicet quod Deus te creavit sine commodo tuo: quia te non indiget. Item, sine merito tuo, quia nihil ante promeruisti, et penitus nihil ante fuisti. Item, cogita qualem te fecit secundum corpus, scilicet egregiam creaturam; et secundum animam magis egregiam; utpote ad imaginem et similitudinem Dei creatam, racionis participem; beatitudinis sempiterne capacem. Considera etiam diligenter et in corde tuo revolve, quando primo cum navigio de partibus transmarinis venisti in terram istam[f], quam humiliter, quam graciose, quam devote, quam letanter populus anglicanus te admisit et in omnibus factis tuis contra rebelles tuos, tecum astitit et juvavit. Considera eciam donacionis potestatem[4], qualiter comes Lancastrie[g] apud Bedford[h] humiliavit se tibi genibus, ut dicitur provolutum. Et causa hujusmodi humiliacionis fuit bonitas ac sanctitas illius comitis, et tua innocencia, una cum oracionibus sanctorum virorum. Et ne tradas oblivioni quam graciose, quam miraculose, a custodia matris tue et aliorum fueris[5] liberatus. Adverte eciam diligenter, quantus honor tibi debetur ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, et cete-

tu nescis) *om.* H[b]. — [3] *om.* R. — [4] qualiter Deus prae aliis te sublimavit ad regiam dignitatem. Considera largitatis administrationem, quanta tibi largitus sit ad sustentationem, quanta ad delectationem, quanta ad eruditionem, quanta ad gratiam, quanta ad correctionem. Considera etiam quam benigne venerabilis *add.* R., A., H[b] — [5] fueras B.

cli. X, 11. — *e*. Sap. VII, 5. — *f*. *Chronicon Galfridi le Baker de Swynebroke*, p. 21: classis ad Anglie littora ventus directa votivus depulit in portum Horewille, die Veneris proxima ante festum Sancti Michaelis; cui se obvios confederaverunt comes mariscalli et Henricus comes Leicestrie. — *g*. Henricus, comes Lancastriae, frater Thomae, decollati anno 1322. — *h*. Bedford, (Lactodurum) juxta fluvium *Ouse*, urbs principalis comitatus Bedfordensis.

ris prelatis hujus terre. Et quantus honor tibi defertur[6] a comitibus, baronibus, militibus, burgensibus, et ab universis et singulis hominibus hujus terre. Inter hec omnia, attende diligenter pro hiis omnibus qualiter[7] gracias Deo agis. Istis, multisque aliis beneficiis a Domino collatis intime consideratis, errores tue curie, Deo et populo anglicano odibiles, sine mora facies emendari. Et qui sint illi errores, vide in quadam summa modica[8], que sic incipit: O Domine mi rex[9].

CAPITULUM SECUNDUM.

II. O domine mi rex, utinam saperes et intelligeres ac novissima provideres. Saperes[1], scilicet unde venisti, et intelligeres, scilicet[2], in quo statu et periculo tu es, ac novissima provideres, scilicet, qualis eris in morte. Hanc amonicionem salutiferam, non in transitu, immo, cum studio et deliberacione considera. Quia sicut thus non redolet nisi in igne, ita nulla sentencia sacre scripture sapit nisi cocta sit in corde. Utinam ergo saperes et intelligeres ac novissima provideres. Ecce domine, tria tibi proponuntur in hoc spectaculo[3], videlicet sciencia, intelligencia et providencia. Vult ergo Dominus ut scias vitam tuam presentem fugitivam, miseriis multis et vanitati subjectam, et peccatorum sordibus pollutam, cupiditate corruptam, et in brevi perituram. Vult ergo[4] Dominus ut fragilem tuam intelligas condicionem quod *nudus egressus es de utero matris tue, et nudus reverteris in terram*[a], *quoniam de terra es et in terram reverteris*[b]. Attende diligenter, quod in hujusmodi vite miseriam intrasti, dies tuos in dolore et erumpna pertransisti,

— [6] debetur R., A., H[b]. — [7] (qualiter) quid et qualiter R.; quas et quales A. — [8] (in quad. sum. mod.) in quadam forma R. — [9] (O Domine mi rex) *om.* H[b].

II. [1] *om.* R. — [2] (et intel. scili.) *om.* H[b]. — [3] speculo R. — [4] igi-

a. Job. I, 21; Sap. VII, 6; I Timoth. VI, 7. — *b.* Gen. III, 19; Eccli.

et cum luctu et dolore de hoc mundo exiturus es[5], et tu nescis diem, neque horam. Et distingue tunc qualiter oculi vertentur in capite, vene rumpentur in corpore, et cor scindetur dolore, et cum hoc, cogites qualiter[6] tractantur mortui et sepeliuntur : qualiter tunc in faciem et in tergum versantur ; quomodo cadant brachia et rigida sunt crura ; quomodo tibia jaceant ; quomodo induantur ; quomodo conversantur ; quomodo deferantur ad humandum ; quomodo mittantur in tumulum ; quomodo pulvere contegantur. Et dicit Gregorius[c] : Qui considerat qualis erit in morte, semper pavidus erit in oratione. Et ideo *memorare novissima tua*[d], et horrorem judicii, ac metum ardentis gehennæ ignis ab oculis cordis tui elonguari nullatenus paciaris. Intelligas ergo ingressum tuum in hunc mundum flebilem, progressum tuum debilem, et egressum horribilem. Vult ergo Deus quod novissima tua sollicite provideas[7], et novissima providere est summa tocius sapiencie. Et que sunt illa novissima ? Utique illam horam[8]... terribilem, illam horam flebilem, illam horam terribilem et horribilem in qua misera anima tua, ex corpusculo tuo corruptibili, timens ac tremens est egressura.

III. Domine rex, nunc crede mihi, ad hujus rei tremende consideracionem, maluisse debueras possidere providenciam quam tocius mundi habuisse dominacionem. In illa namque extrema hora nimis metuenda, quis amicorum, quis parentum tuorum veniens cum gladiis et armis et equis bellicosis, poterit tunc tibi auxilium prestare ? Non erit qui consoletur te ex omnibus caris tuis. *Respiciens eris ad adjutorium hominum, sed refugium tuum erit tantummodo apud Deum*[a]. Cogites ergo frequenter, quo timore timendus est, quo amore diligendus, quo honore venerandus[1] sit ipse Dominus Deus noster, qui solus tibi presidium poterit prestare post mortem. Reduc

tur R. — [5] transiturus es R., A. — [6] quomodo R., A., H[b]. — [7] et consideres *add.* R. — [8] utique illa hora terribilis in qua misera anima R.

III. [1] honorandus R. — [2] antequam R., H[b]. — [3] vadat B. — [4] in ti-

XL, 11 ; XLI, 13. — *c.* Sancti Gregorii *Moralium*, Lib. XIII, Cap. XXIX, § 33, *P. L.*, t. LXXV, p. 1032. — *d.* Eccli. VII, 40.

a. Eccli. LI, 10. — *b.* Eccli. VII, 40.

sepius in memoriam, illum tremendum exitus tui diem, et quomodo[2] misera anima tua ex carcere carnis exeat; provideas tibi, per bona opera tua quo vadas[3], et agas quod in illo tremendo itinere expediat, et caveas quod impediat. Hujusmodi recordacio concipit contricionem, contricio parit compunctionem, compunctio devocionem, devocio generat in Deum piam et humilem affectionem, piam ex fiducia adjutorii divine bonitatis et clemencie; humilem ex consideracione proprie fragilitatis et miserie. Nihil enim in mundo facilius te inclinat ad humilitatem et tui custodiam, ad omnem injusticiam expellendam, et ad sanctitatem et timorem Dei perficiendum[4], quam tue corrupcionis consideracio, tue mortalitatis certa cogitacio; postremo tremende diei mortis tue recordacio: juxta illud Ecclesiastici VII°: *Memorare novissima tua et in eternum non peccabis*[b].

CAPITULUM TERCIUM.

IV. O Domine mi rex, utinam saperes et intelligeres ac novissima provideres. Saperes, id est audires et mente conciperes lamentaciones et suspiria virorum et mulierum quando rumores audiuntur[1] de tuo adventu; et intelligeres, scilicet gaudium, quod habent de tuo recessu, ac novissima provideres, scilicet mortem tuam lamentabilem; certe omni mentis attencione ordinares aliquam bonam viam, per quam totus populus gauderet de tuo adventu, et doleret de tuo recessu. Et hoc honestius et utilius foret pro rege. Et hanc viam faciliter inferius tibi tradam.

V. Erubescere enim potest tota gens anglicana, habere regem in cujus adventu, populus contristatur communiter, et in recessu suo letatur! Quis non induet gemitum et fletum

more Dei proficiendam R.; ad sanctitatem Dei faciendam A., H[b].

IV. [1] audiunt A., H[b].

hoc advertens; et maxime ubi ipse rex deberet esse affabilis, humilis, mitis et innocens[1]. Causa doloris populi de tuo adventu est, quia ministri tui capiunt bona multa contra voluntatem dominorum pro minori precio quam voluerint dare, cum bona sic capiuntur ab eis, quamvis invitis, predicto precio[2]. Si velint pecuniam debitam de tuis ministris habere, oportet eos laborare per quinque vel sex leucas, et quandoque ultra, ad pecuniam querendam, et forte ibidem morari per unum diem et sepe contingit quod non expedient nisi aliquid de suo dederint[3], pro dicta pecunia acquirenda, et hec est una causa doloris populi. Alia causa est quia precursores tue curie garciones et alii capiunt homines et equos laborantes circa agriculturam ; et animalia que terram arant et semina portant ad agrum, ut laborent per duos vel tres dies in tuo servicio[4], nihil pro labore percipientes, cum tamen tempore guerre non esset faciendum, quia tempore guerre debent securitatem habere presbiteri, monachi, conversi mercatores, rustici euntes et redeuntes, in agriculturam existentes ; et animalia que arant et semina portant ad agrum ; et multo forcius debent habere securitatem tempore pacis sicut nunc est, preterquam in illis locis in quibus tu venis cum familia tua, ubi nulla est pax. Et ideo cave tibi. Item aliquando contingit quod aliqui de familia tua[5] volunt habere homines, equos, carectas, in una parochia[6]. Illi de parochia conveniunt cum eis pro dimidia marca vel plus, vel minus, ut possint domi remanere, et non laborare in tuo servicio. Die sequenti, vel aliquando eodem die, veniunt alii de tua familia et capiunt[7] equos, carectas, in eadem parochia, quamvis illi qui dederint dimidiam marcam crediderunt securitatem habuisse et ideo cave tibi. Multe sunt alie cause de quibus tractatur in modica summa que est[8]: O Domine mi rex ex quo, etc.

V. [1] ubi rex est humilis, affabilis, mitis et innocens A., H^b. — [2] (predicto precio) pro minori precio R., A. — [3] forte adhuc A., H^b. — [4] (in tuo servicio) tamen tempore guerre non est faciendum. Debent... R. — [5] de curia tua R. — [6] ut deserviant tibi *add.* R. — [7] capiunt homines equos. R. — [8] incipit R.

CAPUT QUARTUM.

VI. Et ecce domine mi rex, quid faciunt pauperes hospitia tenentes, quibus pocius foret dandum intuitu charitatis quam ab eis aliquid capiendum, quia cum aliquid audiunt de tuo adventu tristantur, et statim pre timore abscondunt aucas, gallinas et cetera bona ; vel alienant, seu in esculentis et poculentis consumunt, ne ea amittant in tuo adventu ; sicut facerent si crederent fures et raptores, seu consimiles ad villam venire. O dolor ! O pudor ! O opprobrium ! O infamia ! O afflictio ! O ambitio ! O certamen ! O compassio ! O convicium ! O damnum ! O tristicia ! O error ! O falsitas ! O fraus ! O furtum ! O rapina ! O infidelitas ! O ingratitudo ! O instabilitas ! O labor ! O lacrime ! O lamentaciones ! O martirium ! O mendacium ! O perjurium ! O periculum ! O timor ! O scandalum tibi regi, et toto populo anglicano, quod talia accidunt in tuo adventu ! Fy : fy, fy ; heu, heu heu, quod hujusmodi fieri permittuntur ; cum quasi per universum orbem talia de te predicantur. Et quare dico ter heu ? In sequentibus hoc videbis. Et ideo domine rex, si velis quod velle debes, quod hujusmodi obprobria de hac terra mox tollantur, et populus gaudeat in tuo jocoso adventu et dolorem habeat de recessu tuo ; te consulo, te rogo, ex parte Dei[1] omnipotentis et sancte Ecclesie, et ex parte populi anglicani, et ob salutem et salvacionem anime tue, ut facias statui et ordinari, ne quis, sub gravi pena, capiat bona alicujus contra suam voluntatem, sed res emat sicut cum venditore poterit convenire, et solvat statim pecuniam ipsi venditori, nullo modo differendo solucionem contra voluntatem venditoris. Et carectas, equos, opera hominum conducat, sicut honestius, facilius et melius poterit convenire. Et si sic fuerit ordinatum, et statutum, homines undique venirent, et afferrent omnia tibi necessaria, etiam ad portam tuam. Sic enim fecerunt[2] homines hujus terre tem-

VI. [1] Patrisque *add.* R. — [2] sicut fecerunt A .

pore regis Henrici proavi tui, et in suo adventu populus multum gaudebat. Et sic faciet populus in adventu tuo si velis facere sicut ipse fecit.

VII. Si autem sic feceris, benediccionem Dei habebis, et omnes Anglici cum Dei adjutorio erunt ad tuum placitum et preceptum, et per amorem quem habebunt in te, dominaberis eis pacifice cum triumpho. Quod si sic nolueris ordinare, timendum est quod Deus suscitet tibi bellum in quo magnam tribulacionem patieris. Et si tunc ad Deum clamaveris, forte Deus te non exaudiet. Proverbiorum xxii : *Qui obturat aurem suam ad clamores pauperis ipse clamabit, et non exaudietur*[a]. Et ibidem Proverb. primo : *Vocavi et renuistis, et despexistis consilium bonum.* Et sequitur ibidem : *cum venerit super te tribulacio, et angustia, clamabis ad Deum, et Deus te non exaudiet, eo quod exosam habuisti disciplinam domini tui et consilio bono non adplicuisti*[b]. Et ideo ignominiam et turpitudinem congregas tibi, et obprobrium quod nunquam delebitur in hoc mundo. Heu, Heu, Heu, mi domine rex, quod tot lamentaciones et dolores sunt in adventu tuo, cum pocius esset gaudendum. Nec mirum, quod lamentaciones et suspiria sunt in adventu tuo : quia in veritate, que Deus est, dico quod pro persona mea, quandocumque audierim rumores de tuo adventu et audio vestrum cornu, totum contremisco, sive fuerim in domo, sive in campo, sive in ecclesia, sive in studio, seu etiam in missa. Quando vero aliquis de tua familia pulsat ad portam, tunc magis contremisco. Sed quando ad ostium, tunc multo magis. Et sic, quanto plus appropinquat, tanto plus contremisco et in majore sum timore. Et iste timor in me manet, quamdiu moram trahis in illis partibus, in quibus ego sum, et hoc, propter multa et diversa mala, que fiunt pauperibus, per illos qui se dicunt de curia tua. Juxta illud Jeremie iiii : *Sapientes sunt ut faciant mala : bene autem facere nescierunt*[c]. Et Proverbiorum ii : *Letantur cum mala fecerint : et exultant in rebus pessimis*[d]. Et tales eliguntur de curia tua ad providenciam tibi faciendam. Et ex hoc mihi vide-

a. Prov. XXI, 13. — *b*. Prov. I, 27-30. — *c*. Jer. IV, 22. — *d*. Prov. II, 14.

tur quod precursores tui, qui veniunt ad providenciam tibi faciendam, non veniant ex parte Dei, sed diaboli. Sic enim est de bonis Angelis, et malis. Bonus Angelus ex sua visione territos consolatur, sicut Gabriel Archangelus missus fuerat ad Virginem Mariam, et dixerat : Ave Maria, gracia plena, Dominus tecum. Que cum audisset, turbata est in sermone ejus. Et tunc Angelus confortans eam dixit : Ne timeas Maria, invenisti enim graciam apud Deum. E contrario, malus Angelus se in lucis Angelum transfigurans, si quos ex sui presentia territos senserit, ampliori terrore eos concutit.

VIII. Recte consimiliter est de precursoribus tuis. Quandocumque audiuntur rumores de adventu tuo, et auditur unum cornu, contremiscit fere quilibet qui est in villa. Postmodum venit precursor tuus ad villam et omnes videntes eum, tristantur et expavescunt. Non dicit eis : ne timeatis. Sed dicit quod vult habere avenam, fenum, lituram pro equis domini regis, et tunc illi pauperes de villa ingenter tristantur et expavescunt, et sic magis ac magis, etc.[1] Postmodum venit alius eodem modo, et dicit quod vult habere aucas, gallinas, et multa alia. Deinde venit tercius, et ipse vult habere frumentum, etc. ... et sic crescit tristicia. II ad Corintos x°: *Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est ergo mirum, si ministri ejus transfigurentur, velut ministri justicie. Quorum finis erit secundum opera ipsorum*[a]. Et ex hoc mihi videtur, quod hujusmodi precursores non veniunt ex parte Dei, sed ex parte diaboli. Nec habeas pro malo quod talia dico tibi, juxta illud in Galathas primo : *Si hominibus placerem servus Christi non essem*[b]. Domine mi rex, nunc crede mihi si tu scires periculum in quo nunc tu es, propter multimoda dampna, que fiunt pauperibus in adventu tuo, non differres usque in crastinum quin remedium statim apponeres oportunum. Et remedium facile tibi trado, videlicet, quod quilibet homo possit esse dominus rerum suarum. Videlicet, quod nihil capiatur contra voluntatem dominorum quorum sunt bona.

VIII. [1] (sic magis ac magis) *om.* H[a].

a. II Cor. XI, 14, 15. — *b.* Galat. I, 10.

IX. Dicerent forte aliqui de consilio tuo, tibi applaudentes, inimici Jesu Christi et inimici anime tue, de quibus dicitur in psalmo[a] : *Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent ;* ergo tu non eris rex in terra tua, nec invenies esculenta et poculenta et alia tibi necessaria. Et ego dico tibi, coram Deo, quod si populus foret certus, quod nihil de bonis eorum caperetur contra eorum voluntatem, omnia tibi necessaria afferrent, etiam ad portam tuam, nec oportet querere in patria sicut modo. Nil temptare nocet. Et moneo te, ut salubriter cogites de salute anime tue, quicquid fecerit pater tuus. Utinam tantum cogitares circa salutem anime tue, sicut et ego. Illud enim maledictum prerogativum curie tue, videlicet capere res aliquas pro minori precio, quam venditor velit dare coram Deo damnabile est. Sed modo est tantum induratum et usitatum in curia tua[1], et tempore[2] patris tui et avi, quod jam duravit per quadraginta annos. Et sic videtur prescriptum illud maledictum prerogativum. Verumtamen hujusmodi prescripcio non tenet de jure, nec est alicujus valoris, quia est contra jus divinum et humanum[3], et etiam contra mores bonos. Propter quod, dico tibi, domine mi rex, quod propter hujusmodi prerogativum infinite anime sunt in inferno. Et ideo cave tibi, et statuas illud maledictum prerogativum quod de cetero nullatenus observetur[4]. Sed hoc erit difficile. Ecclesiastes primo : *Perversi difficile corriguntur*[b]. Ecclesiastici xxiii : *Homo assuetus in verbis improperii : in omnibus diebus suis non erudietur*[c]. Proverbiorum xxiii : *Impius cum in profundum venerit peccatorum contempnit, sed sequetur eum ignominia et obprobrium.*[d] Jeremie xiii : *Si mutare potest Ethiops pellem suam, et pardus varietates suas, sic et vos poteritis bene facere cum didiceritis malum*[e].

IX. [1] (sed modo — incuria tua) tantum est usitatum et induratum in tua curia A. — [2] (et tempore) a tempore H[b]. — [3] (est contra jus divinum et humanum) *om.* H[b]. — [4] (statuas — nullatenus) statuas quod hujusmodi maledictum prerogativum de cetero A.

a. Ps. XLII, 6. — *b*. Eccle. I, 15. — *c*. Eccli. XXIII, 20. — *d*. Prov. XVIII, 2. — *e*. Jer. XIII, 23.

X. Credo tibi, gratia Dei, quod propter orationes multorum, quod propter scandalum, quod propter obloquium [1] populi, quod propter infamiam hujus terre, et quod propter tuam innocenciam, quia ut communiter dicitur, ductilis es ad bonum ; per te tolletur illud maledictum prerogativum, maxime cum gratia Dei. Prima ad Thimotheum I : *Superabundavit autem, et gratia Domini nostri cum fide et dilectione que est in Christo Jesu* [a]. Et ego dico tibi coram Deo, quod si hoc feceris, majus meritum accrescet tibi quam si acquireres omnia regna mundi, Deus novit quia non mencior, et quia sic oportet te facere si velis Deo omnipotenti placere. Juxta illud I Thess. IV : *Hec est voluntas Dei sanctificacio vestra*. Et sequitur : *ne quis supergrediatur,* scilicet per violenciam, *neque circumveniat in negocio fratrem suum* [b], sicut faciunt multi provisores tue curie. Et sequitur : *Rogamus vos fratres ut ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius* [2] *aliquid desideretis* [c]; scilicet per cupiditatem. Sed provisores tue curie multa desiderant contra voluntatem dominorum, et ideo si vis Deo placere, oportet quod talia corrigantur. O Dômine mi rex, utinam saperes et intelligeres, ac novissima provideres. Saperes, id est in mente haberes vitam Sancti Edwardi et finem ejus, et intelligeres, id est intime cogitares vitam patris tui et finem ejus, ac novissima provideres, scilicet, mortem tuam futuram. Sed nescis qualiter [3]. Pro certo vitam Sancti Edwardi eligeres ad imitandum, in cujus adventu totus populus gaudebat, ubicumque venerat in terra sua ; et vitam patris tui dimitteres, in cujus adventu totus populus communiter tristabatur. Et illa tristicia adhuc durat in adventu tuo. Sed illa tristicia, Deo dante, per te tolletur. Et sic tristicia in gaudium convertetur. Et tunc in Anglorum populo, magna erit jucunditas, magna pacis constancia, magna rerum opulencia, sicut fuerat tempore Sancti Edwardi, qui cunctis erat affabilis, castitate laudabilis, facie decorus et hilaris, et prudencia probatissimus, sicut tu es.

X. [1] opprobrium R. — [2] Et nullus aliquid desideret. R. — [3] qualem R.

a. I Tim. IV, 3. — *b*. I Thess. IV, 3, 6. — *c*. I Thess. I, 10, 11.

CAPITULUM QUINTUM.

XI. O Domine mi rex, utinam saperes et intelligeres, ac novissima provideres. Saperes, id est, scires debita tua et debita patris tui ; et intelligeres periculum anime tue et periculum patris tui, propter debita multimoda, creditoribus non soluta ; ac novissima provideres, scilicet, mortem tuam lamentabilem, qualem Deus novit. Et certe si sic expensas domus tue, et alias expensas superfluas diminueres, ut debita tua, et debita patris tui cicius persolvantur. Adverte, domine rex, quod hujusmodi divicie non sunt nostre, sed nobis accommodate, et ideo non debemus eas expendere ad nostram voluntatem, sed ad fratrum necessitatem. Si ad fratrum necessitatem debemus bona nostra expendere, non debemus ergo ab eis auferre[1]. Unde Augustinus : *Dum capis aliena, invito Domino, capieris a diabolo ; et si tenes alienum, teneris a diabolo*[a]. Quod enim divicie non sunt nostre, patet in morte, quia tunc divicie manent in mundo et non sequuntur hominem post mortem. Jeronimus : *Non sunt bona hominis, que secum ferre non potest.* Job. XXVII : *Dives cum dormierit, nihil secum affert, aperiet oculos suos, et nihil inveniet*[b]. Unde Psalmista : *Dormierunt sommum suum, et nihil invenerunt omnes viri diviciarum in manibus suis*[c]. Et alibi : *Ne timueris cum dives factus fuerit homo et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus, quoniam cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus*[d]. Nunc cogita, domine, de patre tuo quid habet modo de diviciis quas habuit hic, et in quo statu sit anima ejus, propter debita sua non soluta. Nolo aliquid dicere de extorsionibus que fiebant tempore suo, sed Deus propicietur anime ejus. Et inter cetera, cogita de debi-

XI. [1] (non debemus — auferre) nec debemus ergo quicquam ab eis

a. S. Augustini Sermo LXXVII (Append.), *P. L.*, t. XXXVIII, p. 301. — *b*. Job. XXVII, 19. — *c*. Ps, LXXV, 6. — *d*. Ps. XLVIII, 18, 19.

tis tuis diversis, et multis creditoribus tuis, cum omnibus damnis eorum[2]; pro eo quod debita tua non fuerunt debito tempore persoluta. Si autem non solveris debita tua, forte filius tuus pro te non solvet; juxta illud, Ecclesiastici ix: *Mortui non habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita est memoria eorum* [e].

CAPITULUM SEXTUM.

XII. O Domine mi rex, utinam saperes et intelligeres ac novissima provideres. Saperes, id est, intime cogitares de terris et de tenementis defunctorum ad te et patrem tuum devolutis, et intelligeres, id est, cognosceres per inquisitionem vel alio modo, cujusmodi terre sive tenementa per illos defunctos injuste fuerint acquisita, ac novissima tua provideres, scilicet mortem tuam terribilem, tristabilem et periculum anime tue, propter talia bona diucius sic detenta. Certe omnia illa bona, sine mora cum omnibus fructibus inde perceptis, restitui faceres omnibus illis a quibus dicta bona fuerint extorta, seu alio quocumque modo illicite acquisita. Vel saltem, si illi mortui sint, facienda est restitucio heredibus eorum, cum non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum. Et dicitur Ecclesiastici xl: *Substancie injustorum sicut fluvius siccabuntur et sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt.* Et sicut justus *in aperiendo manus suas letabitur,* dando saltem ea ad que tenetur, *sic prevaricatores in consummacione tabescent* [a]. Abacuc ii: *Ve qui multiplicat non sua, usquequo aggravat contra se densum lutum. Numquid non repente consurgent qui mordeant; et suscitabuntur lacerantes te,* et

auferre. R. A. — [2] et ideo moneo te ex parte Dei, et consulo ob salutem anime tue ut sine mora satisfacias creditoribus tuis cum omnibus damnis eorum R.

— *e.* Eccle. IX, 5.

a. Eccli. XL, 13, 14. — *b.* Hab. II, 6, 7, 8.

evigilabunt, insidiatores tui, *et eris in rapinam eis, quia spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui relicti fuerint de populis*[b]. Vide quid accidit patri tuo et ideo ve tibi.

CAPITULUM SEPTIMUM.

XIII. O Domine mi rex, utinam saperes et intelligeres, ac novissima provideres. Saperes, id est, cognosceres condiciones eorum quibus aliquid magnum vis donare, et intelligeres, id est mente haberes infinita debita tua, et debita patris tui, et periculum in quo tu es pro debitis non solutis; ac novissima provideres, scilicet mortem tuam incertam et inevitabilem, certe non faceres alicui magnam donacionem aliquam, priusquam debita tua et debita patris tui fuerint plenarie persoluta. Et ideo, domine rex, quando proponis alicui aliquam donacionem, primo cogita de debitis tuis, et de debitis patris tui, et pone illud, ut signaculum super cor tuum. Et sic, in donacionibus tuis debes considerare posse tuum, tempora, necessitatem, et merita hominum quibus aliquid es daturus. Debes ergo largiri dona juxta posse tuum, in mensura, hominibus indigentibus et dignis, quia qui largitur dona sua non indigentibus vel indignis, nullam acquirit sibi laudem. Et quicquid datur indignis, perditur. Et qui fundit ultra modum divicias suas, certo veniet ad amara littora paupertatis. Qui vero dat bona regni sui indignis et non indigentibus, talis rex est depopulator reipublice et destructor regni et regiminis. Unde et prodigus appellatur, eo quod procul est a providencia. Sed qui dat tempore necessitatis, de bonis suis, hominibus indigentibus, talis rex est nobilis sibi et subditis, et ejus regnum prosperabitur, et omnes ejus subditi erunt ad suum placitum et preceptum. Sed, domine rex, si bene considerares posse tuum, non poteris immensas facere donaciones. Ut enim communiter dicitur, omnia bona tua mobilia non sufficiunt ad debita tua persolvenda et debita patris tui, ad quorum solucionem tu teneris. Et ideo necesse habes, cavere a

stulta et superflua donacione, et superfluas expensas evitare. Et ideo, domine rex, quando quis petit aliquid magnum, si vis te curialiter excusare, et scire si sit amicus tuus, dicas ei : Amice, libentissime darem tibi id quod petis et multa plura, sed dicitur communiter in hac terra[5], quod omnia bona mea mobilia non sufficiunt ad debita mea persolvenda ; sed, solutis debitis meis, libenter faciam quod tu petis. Si postmodum a te aliquod magnum petat, non intelligas ipsum amicum tuum, nec te veraciter diligit, nisi sicut canis diligit os carneum, et amplectitur, et servat quamdiu invenit in eo quod rodit, sed nudum sine carne relinquit. Et sicut arbor diligitur et frequenter visitatur quamdiu habet fructus, sed, ablatis fructibus, modicum de ea curatur. Unde, domine rex, volo te scire, quod multi homines te sequuntur sicut musce sequuntur mel[1], lupi cadavera, mures et ratones[2] frumenta ; sic propter honores et divicias tuas, multi te sequuntur, sed diviciis a te recedentibus, forte a te recedent tales homines, quia nunquam te recte dilexerunt unum. Unde Gregorius : *Amissio felicitatis vim interrogat amoris* : *quia qui in adversitate proximum relinquit aperte convincitur, quod in prosperis eum non amavit*[a]. Cum enim in prosperitate quis diligitur, incertum est utrum prosperitas, an persona diligatur. Unde, Ambrosius dicit, *quod non est vera amicicia quam habent homines ad divites pro bonis suis sed est fallax adulacio*[b]. Proverbiorum, 19 : *Divicie addunt plurimos amicos, a paupere autem et his qui; non habuerunt separantur*[c]. Ecc. VI : *Est enim amicus secundum tempus, et non permanebit in die tribulacionis. Et est amicus socius mense et non permanebit in die necessitatis*[d]. Ecclesiastici XII : *Non agnoscitur in bonis amicus, nec abscondetur in malis inimicus*[e]. Et ideo, domine rex, dico tibi, quod illi qui inducunt te ad donaciones magnas eis dandas, non sunt tui veri amici, licet videantur amici, nec te recte diligunt. Si enim te secundum Deum diligerent, affec-

XIII. [1] (musce sequuntur mel) *om.* A., H[b]. — [2] latrones B.

a. S. Gregorii *Moralium*, Lib. VII, Cap. XXIII, *P. L.*, t. LXXV, p. 781. — *b*. Sancti Ambrosii *de officiis ministrorum*, Lib. III, Cap. XXII, § 135, *P. L.*, t. XVI, p. 182. — *c*. Prov. XIX, 4. — *d*. Eccli. VI, 8, 10. — *e*. Eccli. XII, 6.

tarent salutem anime tue, ut tu ex hujusmodi donacionibus solveres debita tua et debita patris tui.

CAPITULUM .OCTAVUM

XIV. O Domine mi rex, utinam saperes et intelligeres, ac novissima provideres, Saperes, id est, mente haberes quot et quantas expensas faciunt tui magni equi bellicosi; et intelligeres quot bona opera pietatis ex illis expensis frivolis fieri poterint in hac terra; ac novissima provideres, scilicet, mortem tuam flebilem, certe ingentem numerum illorum equorum diminueres, et debita tua solveres, et debita patris tui; et ex hujusmodi expensis inordinatis, pro equis, faceres diversa opera pietatis. Nam dicitur Deuteronomus. xvii : *Rex sapiens non multiplicat sibi equos*[a]. Sed diceret forte aliquis ex parte regis: decet regem habere multitudinem magnorum equorum pro defensione terre sue. Et ego dico tibi, pro certo, et coram Deo, quod non ad defensionem terre, sed pocius ad vanitatem et destructionem terre. Jeremie ii : *Ambulaverunt post vanitatem et vani facti sunt*[b]. Unde vide, et diligenter adverte, quid et in quibus profuerunt isti magni equi et bellicosi illis magnis dominis hujus terre. Nolo aliquem nominare, quia facillime fuerunt capti, destructi, et aliqui eorum interfecti, et omnes equos amiserunt cum omnibus bonis. Nec mirum, quia illi qui quocumque loco morabantur, multimoda damna et varia et diversa, per suos custodes, maxime pauperibus faciebant[1]. Et in veritate, que Deus est, oratio unius boni pauperis, plus valuisset eis, quam omnes illi equi bellicosi. Et hoc idem dico tibi domino regi, plus proderit tibi oratio unius boni pauperis religiosi seu alterius, etiam in bello, quam omnes equi tui bellicosi. Exodii xvii : *Moyses levavit manus ad celum*[c],

XIV. [1] fiebant A.

a. Deut. XVII, 16. — *b*. Jer. II, 5. — *c*. Exod. XVII, 11. — *d*. Ju-

orando et per oracionem suam, vincebat populum adversum. Judith IIII: *Memores estote Moysi servi Dei, qui Amalech confidentem in virtute sua, et paciencia sua,* et in magnis equis *et in magno exercitu suo, et in curribus suis, devicit; non in ferro pugnando, sed precibus sanctis orando*[d]. Plus enim valet unus sanctus orando quam infiniti equi et peccatores preliando. Eccli. XVI: *Melior est unus homo timens Deum, quam mille impii*[e]. Et magis prosunt in bello devote oraciones, quam providencia carnalis.

XV. Et nunc, domine rex, considera expensas quas facis, per annum, circa unum magnum equum. Unus magnus equus habebit ad minus, unum garcionem custodem qui recipiet, singulis diebus, denarium pro expensis suis; pro equo iterum capiet unum dimidium busselli avene, pretii I denar., fenum, precii I denarii. Unde expense unius ebdomade, II solidi, VII denarii obol.[1], de quibus quattuor pauperes vel quinque poterunt sustentari. Unde facta computacione de expensis unius garcionis et unius equi per annum, expense se extendunt ad VI libras XVI denarios. Et quod communiter dictum est tantum in perdicione: quot ergo et quante expense fiunt per annum, per garciones et equos tuos! Nolo aliquid dicere contra eos, de rapinis et extorsionibus et ceteris damnis factis. Nonne ergo foret tibi bonum, et sanum consilium, ut diminueres numerum equorum tuorum pro debitis tuis solvendis et pro debitis patris tui, vel si debita fuerint persoluta, dare tot pauperibus, religiosis, et peregrinis, seu convertere in alios usus pietatis? Certe sic, quia quicquid pro anima tua feceris, tuum est, quod autem reliquisti hoc perdidisti. Unde Ambrosius: *Non sunt bona hominis, que secum ferre non potest. Sola enim misericordia est comes defunctorum*[a]. Hoc ergo tuum reputa, quod pauperibus erogasti. Quicquid enim pro mundo feceris,

XV. [1] (recipiet — denarii obol.) recipiet singulis diebus unum denarium et obolum pro expensis suis; pro equo recipiet avenam precii II den. Unde pro expensis unius diei pro garcione et equo IIII den. ob. H[a].

dith. IV, 15. — *e*. Eccli. XVI, 3.

a. Sancti Ambrosii *Epistolarum* Classis I, Epist. VII, § 3, *P. L.*,

totum perditum habe. Mundus enim est tamquam bursa perforata, ubi quicquid ponitur, totum elabitur. Et consulo, quod non habeas aliquam fiduciam in magnis equis tuis, sed tantummodo in Dominum Deum tuum, juxta illud Isaie xxi: *Ve qui descendunt in Egyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multe sunt, et super equitibus, quia prevalidi sunt*[b]. Judith ix: *Non in multitudine populi, est virtus Dei, neque in equorum viribus: sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecacio*[c].

CAPITULUM NONUM.

XVI. O Domine mi rex, utinam saperes et intelligeres, ac novissima provideres. Saperes, id est, intime cogitares honorem tibi impensum ab hominibus hujus terre, et intelligeres, scilicet, damna eis illata, per tuos servientes ubicumque veneris in terra tua ; ac novissima provideres, scilicet, miserabilem mortem tuam, nisi talia emendantur ; certe remedium bonum apponeres pro hominibus hujus terre, quod per servientes tuos de cetero non graventur. Et hoc est statuere, quod quilibet sit dominus rerum suarum, ut sic de bonis suis nihil capiatur contra voluntatem suam. Et quicumque contra fecerit, graviter puniatur, et una cum hoc maledictionem Dei incurrat. Unde, domine rex, intellige et non tradas oblivioni qualiter gens anglicana constituerunt[1] te regem ; esto ergo quasi unus ex ipsis. Eccl. xxxii: *Rectorem te posuerunt, noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis*[a]. Consulo ergo, ut emas esculenta et poculenta et cetera tibi necessaria, sicut unus de populo, quia forte adhuc non intelligis qualiter et in quibus gens anglicana contra tuos adversarios poterit te juvare vel etc. Cave tibi bene quicquid dicatur.

XVI. [1] constituit H[a] ; constituerat H[b].

t. XVI, p. 906. — *b*. Isai. XXXI, 1. — *c*. Judith. IX, 16.

a. Eccli. XXXII, 1.

CAPITULUM DECIMUM.

XVII. O Domine mi rex, nunc diligenter adverte, et in corde tuo scribe, et nunquam recedat a tua memoria, quod nunc dicam tibi. Domine mi rex, utinam saperes et intelligeres ac novissima provideres. Saperes, id est cognosceres hujus regni consuetudines, statuta, privilegia pauperibus vel sancte ecclesie damnosa ; et intelligeres, scilicet, premium tibi affuturum si per te omnia talia delerentur ; ac novissima provideres, scilicet, mortem tuam futuram, qualem, ubi, et quam incertam, tu nescis. Certe, omnes consuetudines hujus regni, et omnia privilegia, ac omnia statuta ubicumque in foresta vel aliis partibus hujus regni que sunt sancte ecclesie, vel pauperibus, vel eciam communitati hujus regni damnosa, omnibus viribus tuis omni festinacione qua poteris, habito consilio tuo, faceres ammoveri. Et ex hujusmodi facto majus meritum accresceret tibi, quam si filio tuo acquireres omnia regna mundi[1]. Unde Seneca : Quanta demencia est, heredi tuo multa procurare, et tibi ipsi omnia negare. Magna enim hereditas ex amico facit inimicum. Plus enim forte gaudebit de morte tua quo plus sibi acquisieris. Et ideo consulo, quantum poteris omnia bona opera facias charitatis. Job. XIIII : *Homo cum mortus fuerit nudatus est atque consumptus*[a]. Idem ad Corinthos III : *Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem*[b]. Ad Galat. VI : *Bonum facientes, non deficiamus; tempore enim suo metemus, non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*[c].

XVII. [1] non dico tibi Scotiam vel Franciam, sed dico tibi omnia regna mundi *add.* A.

a. Job. XIV, 10. — *b*. I. Cor. III, 8. — *c*. Galat. VI, 10, 11.

NARRATIO.

XVIII. Vide, domine rex, et adverte, et intellige narracionem communem — Fuit in quodam regno, quod rex non remaneret in regno ultra annum. Sed, durante anno, potuit facere quicquid vellet, usque in finem anni. Illi de regno illo, ad quos spectabat electio elegerunt quemdam in regem. Statim cum fuerat electus tenuit maximam familiam, maximumque numerum equorum, multa bona, quid per fas, quid per nefas adquisivit regno, et nihil sibi ipsi. Adveniente fine anni, subito captus fuit, et in quamdam insulam missus, et sine spe remedii, vixit misera paupertate et miseriis multis. Juxta illud Jeremie xvi : *Ejiciam vos de terra hac, in terram quam ignoratis, et servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt requiem vobis* [a]. Postmodum, fuit aliquis in regem electus, ipse advertens, quid fiebat de predecessore suo, omnia que potuit auferre, de regno suo abstulit, et misit in insulam in quam, post annum, debebat mitti. In fine anni, missus in illam insulam, in qua vixit in abundancia omnium bonorum, sicut prius providerat sibi ipsi. Recte consimiliter est, de regibus hujus regni, et aliorum post mortem. Missi sunt in insulam parvam, id est corpora clauduntur in sepulchro. Et vide qualiter pascuntur ; transeuntes per sepulchrum illius dicunt : Iste fuit bonus rex, magna fuit pax in tempore suo, et semper fuit gaudium in adventu suo. — Multa monasteria construxit, malas consuetudines terre destruxit, multa opera charitatis exercuit. — Non capiebat aliqua bona pro minori precio, quam dominus rei volebat dare ; et consimilia bona que fecerat ipse tempore suo, narrant de ipso. Et specialiter rogant Deum, pro anima ipsius et animabus omnium fidelium defunctorum. Ecce quam optime pascitur et abundat in deliciis. Proverbiorum xxii : *Melius est nomen bonum, quam divicie multe : super aurum et argentum, gracia bona* [b]. Eccle-

a. Jer. XVI, 13. — *b*. Prov. XXII, 1. — *c*. Eccle. VII, 2. — *d*. Sap.

siastici VII: *Melius est nomen bonum quam unguenta preciosa* [c]. Unus rex qui facit monasterium de religiosis, vel unam domum religiosam pauperum, multo plus adquirit sibi, quam si faceret mille castra in regno suo. Quia ut communiter dicitur, ubi est unum castrum, deterioratur per illud tota patria circumquaque. Sed ubi est unum monasterium religiosorum, melioratur tota patria circumquaque. Transeuntes autem per sepulchrum alterius regis, dicunt de ipso : Iste fuit tyrannus, nulla fuit pax in tempore suo, ipse non solvebat debita ; auferebat bona a pauperibus, gallos et gallinas, avenam, fenum abstulit, et multa alia mala fecit et ubicumque venerat tota patria deteriorabatur. Semper fuit dolor et tristicia in adventu suo, ubicumque venerat. Tamen, in fine, cum narraverunt multa mala de ipso, tunc dicunt : parcat Deus anime sue. Ecce quantum male pascitur anima ejus post mortem suam, cum tot mala narrantur de ipso. Sed de animabus illorum regum, quid scit ? Dico tibi, quod qui bona egerunt, ibunt in vitam eternam, et qui male se habuerint, nisi ante mortem digne penituerint, perpetuo erunt in inferno. Et tunc, possunt dicere illud Sapientiae IV° : *Nos erravimus a via veritatis, et lumen justicie non luxit nobis, in via perdicionis et iniquitatis et ambulavimus vias difficiles : viam Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut diviciarum jactancia contulit nobis ? Transierunt omnia illa tamquam umbre et tanquam percurrens nuncius, tanquam navis qui pertransit fluctuantem aquam : cujus, cum preterierit non est vestigium ejus invenire, neque semitam illius inventam in fluctibus. Aut avis qui transvolat in aere nullum invenitur signum itineris illius : sed tantum sonitus est alarum, verberans levem ventum, et scindens per vim itineris aerem : commotis alis transvolat et post hec nullum signum itineris illius. Aut tanquam sagitte emisse in locum destinatum, divisus aer continuo reclusus est in se, ut ignoretur transitus illius ; sic et nos nati continuo desinimus esse : et virtutis nullum signum valemus ostendere. Malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt hi qui peccaverunt quoniam spes impii tanquam fumus a vento diffusus, et tanquam memoria hospitis unius diei pretereuntis* [d]. Sed de bonis regibus dicitur ibidem : *Justi in perpetuum vivent et apud Dominum est merces eorum*

et cogitacio eorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini[e]. Et ideo, domine rex, cave tibi, et omnia bona opera que poteris facere facias. Quandocumque potes bene facere, instanter operare dum vivis, quia mortui nihil amplius possunt plus quam habent, et oblivioni est tradita memoria eorumdem. Et ideo, omnia opera que credis Deo placere, facito. Nescit homo finem suam, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves comprehenduntur laqueo, sic multociens capiuntur homines tempore malo. Unde provideas tibi bene, dum vivis et quicquid agunt stulti sis memor... ? Cogita quoque, quod non habes hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Fuit enim in antiquis regibus et principibus, et debet esse in omnibus, providencia et consideracio future mortis. Ut enim dicitur in vita Johannis Elemosinarii, antiquitus, postquam imperator coronaretur, statim ad eum ingrediebantur edificatores monumentorum dicentes eidem : Domine, de quo metallo jubes monumentum tuum fieri? Insinuantes videlicet ei, quod tanquam homo corruptibilis et transitorius, curam haberet anime sue, et regnum pie disponeret. Ut ait Sapientia divina, Ecclesiastici VII : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua : et in eternum non peccabis*[f]. Meditatio enim mortis est quasi frenum hominem refrenans ne exerceat cupiditates sive libidines. Unde narratur quod mortuo Alexandro Magno, cum fieret ejus sepultura aurea, convenerunt ad eum plurimi philosophi de quibus unus dixit : Alexander heri de auro fecit sibi thesaurum, nunc, e contrario, hodie aurum de eo fecit thesaurum. Alius philosophus dixit : Heri non sufficiebat Alexandro totus mundus, hodie sufficiunt sibi duo vel tres ulne panni, in quo possit involvi. Tertius dixit : Alexander populo imperabat, hodie populus imperat illi. Quartus dixit : Alexander potuit multos a morte liberare, hodie ipsius mortis jacula non potuit evitare. Quintus dixit : Heri Alexander ducebat exercitum, hodie ab ipsis ducitur sepulture. Sextus dixit : Heri Alexander premebat terram, hodie ab ea premitur ipse. Septimus dixit : Heri Alexandrum gentes timebant, hodie eum vilem reputant. Octavus dixit : Heri Alexander habuit

V, 6-15. — *e*. Sap. V, 16, 17. — *f*. Eccli. VII, 40. — *g*. Eccli. XXXVI,

amicos et inimicos; hodie habet omnes equales. Si hec predicta considerares bene tibi provideres. Ideo precipitur Ecclesiastici xxvi: *Memento finis tui*[g]. Et Ecclesiastici vii: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quod futurum sit*[h]. Et scias quod nihil tantum proficiet ad temperanciam omnium rerum, quam frequens brevis incerte vite cogitatio, et quicquid facis, semper ad mortem respice, quia nemo tam imperitus est, ut nesciat aliquando sese moriturum. Cum tamen prope mors accesserit, tremit et plorat. Sed cur fles, trepidas, cum omnes hac necessitate ducuntur, eas ibi quo omnia eant, et ad hanc legem natus es. Hoc patri tuo accidit, hoc majoribus, hoc omnibus, post te. Et momento hoc ipso quo tu mori dubitas, multa millia hominum moriuntur. Unde dicit Seneca: Timere debes mortem propter morientium necessitatem: mors enim nulli parcit. Item propter velocitatem. Job vii: *Ventus est vita mea*[i]. Item propter incertitudinem loci, temporis et modi. Item timenda est mors, propter malorum occursionem: peccata enim, et demones occurrent tibi in extremo tempore. Et timenda est mors quia amara peccatoribus. Ecclesiastici, xii: *O mors quantum amara est memoria tua, homini injusto*[j]. Sed injustus est qui capit bona aliorum, ipsis invitis. Premissis bene intellectis, domine rex, premoneo te, ut tollas illud prerogativum maledictum; scilicet capere alienas res pro minori precio quam venditor velit dare. Quod si non feceris, videbis tempus in quo maluisses amovisse de terra tua illud maledictum prerogativum et malas consuetudines hujus terre, quam acquisivisse omnia regna mundi, et ideo de cetero cave tibi.

CAPITULUM UNDECIMUM.

XIX. O domine mi rex, si omnia predicta non possunt te movere ad tollendum illud maledictum prerogativum, videli-

10. — *h*. Eccle. VII, 3. — *i*. Job. VII, 7. — *j*. Eccli. XLI, 1.

cet, capere res alienas pro minore precio quam dominus illarum rerum velit dare, accipe modo illa sancta documenta que sanctus Ludovicus quondam rex Francie, tradidit Philippo filio suo de modo vivendi, ad inducendum te ad tollendum de terra tua illud maledictum prerogativum. Et consilium meum est ut tu teneas illum modum vivendi. Proverb. III : *Custodi legem atque consilium : et erit vita anime tue, et faucibus tuis gratia ; tunc ambulabis fiducialiter in vita tua, et pes tuus non impinget. Si dormieris non timebis ; quiesces, et suavis erit somnus tuus ; ne paveas repentino terrore, Dominus enim erit tecum et custodiet te*[a]. Et nunc diligenter audi et intellige bene illa sancta documenta.

XX. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, obiit christianissimus rex Francorum Ludovicus. Et he sunt moniciones quas ibidem rex fecit Philippo filio suo et manu propria, ut dicitur, conscripsit. Imprimis moneo te, fili, ut Deum super omnia diligas ex toto corde tuo, et tota virtute, nam sine hoc, non est tibi salus. Ex hac monicione sequitur quod non debes capere neque permittere per tuos servientes capi ab aliquo res aliquas pro minori precio quam venditor velit dare. Non enim videris diligere fratrem tuum, ex quo capis res suas contra suam voluntatem. Sed dicitur juxta Johannis v' : *Qui non diligit fratrem suum quem videt ; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo : ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum*[a]. Sed non diligis fratrem ubi capis res contra suam voluntatem, dato quod verum precium sibi solvas. Quia Christus dicit in Evangelio : *Omnia quecumque vultis ut faciant vobis homines et vos eadem facite illis*[b], et quod nolueritis fieri vobis, aliis non faciatis. Sed tu, non permitteres quod quis caperet a te res tuas, te invito, dato quod verum precium, tibi vellet dare. Item juxta Johannis I. *Qui dicit se diligere Deum et mandata ejus non custodit, mendax est*[c]. Sed hoc est unum de mandatis. *Non concupisces rem proximi tui*[d], Exodi xxx.

a. Prov. III, 21-26.

a. I Jean. VI, 20, 21. — *b*. Matt. VII, 12 ; Luc. VI, 31. — *c*. I Joan. II, 4. — *d*. Exod. XX, 17. — *e*. I Joan. III, 17.

Preterea dicitur juxta Johannis III : *Qui habuerit substanciam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?*[e] Certe, nullo modo. Et ego dico quod multo minus manet charitas Dei in illo qui capit aucas, gallinas, etc.... contra dominorum voluntatem, quia ut communiter dictum est, famuli tui capiunt talia, quasi a mendicantibus, quibus potius esset aliquid dandum quam auferendum.

XXI. Item, debes te custodire ab omnibus que noveris Deo displicere, scilicet ab omni peccato, ita ut te prius permittas omni martirio potius cruciari quam aliquid peccatum mortale committas. Ex hac monicione sequitur, quod non debent alique res capi contra voluntatem domini quia voluntas Dei est quod non concupiscas rem alienam, invito domino. Juxta Thessalo IIII : *Nullius aliquid desiderabis*[a]. Exodi XX : *Non desiderabis bovem vel asinum proximi tui,* contra ejus voluntatem, *nec cetera bona que illius sunt*[b]. Multo fortius non debent capere contra ejus voluntatem, quia plus est capere res, quam concupiscere eas. Si autem consenseris de cetero quod servientes tui capiant bona aliorum, contra eorum voluntatem, timendum est quod veniet super te quod dicitur. Isaïe, XLVII : *Veniet super te malum, et nescias ortum ejus. Veniet super te repente miseria quam nescis*[c].

XXII. Item, si Deus aliquem persecutionem tibi immiserit, benigne et cum graciarum actione debes sustinere, et cogitare quod ad bonum tuum perveniat et quod hoc bene meruisti. Job V : *Beatus homo qui corripitur a Domino*[a]. Ad Hebreos, XIIII : *Quem diligit Deus castigat*[b]. Si vero Deus tibi aliquam prosperitatem intulerit, debes ei humiliter regraciari, et caveas ne inde deterior fias, sive per vanam gloriam sive alio modo; quia non debes offendere Deum donis suis. Ex hac ammonicione sequitur, quod non debes aliquas res capere contra voluntatem dominorum illarum rerum. Quod si feceris, offendis Deum, quia preceptum Dei est : *Non concupiscas rem proximi*

a. I Thess. IV, 11. — *b*. Exod. XX, 17. — *c*. Isai XLVII, 11.

a. Job. V, 17. — *b*. Hebr. XII, 6. — *c*. Exod. XX, 17. — *d*. Isai.

tui. Exodi xx : *Non desiderabis bovem*[c], ut supra notatur. Nec mirum si Deus mittat tibi persecucionem et tribulacionem, si de cetero capias aliqua bona alterius, contra suam voluntatem, juxta illud Isaie xxxiii : *Ve qui predaris, nonne et ipse predaberis*[d]. Vide, quid accidit patri tuo.

XXIII. Item, moneo te frequenter confiteri, et quod honestos et discretos eligas confessores, qui sciant te docere, a quo sit cavendum tibi, et quod oporteat te facere. Et tam modeste te habeas, quod confessores tui et alii amici secure possint te reprehendere, si necesse fuerit. Ex hac ammonicione sequitur, quod non debes aliquid capere contra voluntatem venditoris. Nam confessor tuus dicet tibi quod hoc est contra preceptum Domini, aliquid capere contra voluntatem dominorum rerum ; ut dicitur, Exodi xx ; vide Ecclesiastici xix : *Qui odit correpcionem, minuetur ejus vita*[a]. Et debet bonus confessor tibi injungere, quod nullo modo permittas de cetero talia fieri, diebus tuis, si animam tuam salvare desideras. Et tenetur confessor tuus hoc dicere tibi. Unde Seneca in Epistola : Amici si vitia feras, facis tua, ideo ejus vitia tollas ut tua, quantum potes.

XXIV. Item, si habes aliquam cordis desolacionem, dic eam confessori tuo, vel alieno probo viro, et tunc levius, et letius feres eam. Averte, domine rex, quid confessor tuus vel alienus, bonus vir inter cetera dicet tibi : Domine mi rex, merito debes habere cordis desolacionem, quia infiniti homines et mulieres habent desolacionem cordis, ubi tu venis, pro eo quod famuli tui capiunt res aliorum contra eorum voluntatem. Et ideo, statuas quod de cetero, talia non fiant, ne incurras majorem cordis desolacionem, tristiciam et dolorem.

XXV. Item, libenter audi officium ecclesie, et cum diu eris in ecclesia, cave ne vage circumspicias, nec vana loquaris, sed omnia devote, sive ore, sive cordis meditatione, inspicias, et specialiter plus attendas devotioni, in secreto misse, circa

XXXIII, 1.

a. Eccli. XIX, 5.

horam consecracionis corporis Christi. Sed adverte, domine rex, si velis ut officium ecclesie et oraciones tue, et bona opera te juvent, vade prius te reconciliari fratribus tuis, a quibus multa bona recepisti, nec debita solvisti et statuas finaliter in corde tuo quod de cetero non capiantur bona aliorum contra eorum voluntatem. Juxta illud Matth. v : *Si velis offerre munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum*[a].

XXVI. Item, habeas cor pietatis ad pauperes, miseros et afflictos, et pro posse subveni eis et consule. Sed adverte domine rex, quod istam monicionem non custodis, cum tu scis, vel scire debes, quod tui famuli capiunt multa bona pauperum, ipsis invitis, quibus foret pocius aliquid dandum quam ab eis capiendum. Tene et libenter audi sermones Dei, et in aperto et in secreto. Sed adverte, domine rex, quod predicator inter cetera dicet, quod tu non permittas aliquem de familia tua, nec alium quemcumque capere res alienas, invito domino.

XXVII. Item, libenter procura tibi indulgenciam a plurimis et a diversis ecclesie prelatis. Sed intellige, domine rex, quod hujusmodi indulgencie, in nullo tibi prosint, quamdiu utaris illo maledicto prerogativo capere res aliquas alienas pro minori precio quam venditor velit dare, quia qui non est in charitate, non prosunt sibi indulgencie concesse. Juxta, ad Corinthos XIII : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero nihil mihi prodest*[a]. Thesaurus enim ecclesie ut indulgencie, non sunt dande inimicis ecclesie, et illos puto qui sunt extra caritatem.

XXVIII. Item, diligas te habere consorcium bonorum sive religiosorum, sive secularium, et cave societatem pravorum. Sed adverte, domine rex, quod omnes illi, qui bona aliorum

a. Matt. V, 23, 24.

a. I Cor. XIII, 3.

habent contra eorum voluntatem, sunt pravi homines et omnes tales repellere debes a curia tua, virtute monicionis predicte.

XXIX. Item, in proximo tuo semper dilige bonum, et odi malum, et noli pati coram te dici verbum allectivum ad peccatum, nec verbum detractivum de alio, nec ullum verbum blasphemie de sanctis dici paciaris quin de eo vindictam fieri facias. Et ex hac monicione sequitur quod nihil debes capere de bonis aliorum, contra eorum voluntatem, quod si feceris, malum est, et hoc odire debes, virtute monicionis predicte. Psalmista : *Qui diligitis Dominum odite malum*[a], etc.

XXX. Item, de omnibus beneficiis tibi a Deo collatis, sic Deo gratias agas, ut sis dignus accipere majora. Sed adverte, domine rex, quod maxima est tua ingratitudo, ex quo Deus contulit tibi tot beneficia que sicut nosti, quod tu per tuos ministros, capis bona infinita ab aliis, ipsis invitis, sicut raptor. Quia scire debes quod sicut liberalitas est signum nobilitatis, sic rapina est signum rusticitatis. Unde nobiles multi, qui nobiles reputantur opinione hominum, rusticissimi sunt, cum non cessant capere bona pauperum, ipsis invitis, de quorum laboribus ipsi vivunt.

XXXI. Item, erga subditos tuos, ita juste te habeas, ut lineam justicie teneas, non declinans ad dextram, neque ad sinistram. Et semper plus teneas te ad pauperis partem, quam divitis, donec certus sis de veritate. Deuteronomii xvii : *Rex non declinet ad dextram vel sinistram, ut longo tempore regnat et filius ejus*[a]. Ecclesiastici iiii : *Usque ad mortem, certa pro justicia et Deus expugnatur pro te inimicos tuos*[b]. Ex hac monicione sequitur quod non debes permittere aliquem capere bona aliorum contra eorum voluntatem. Quod si permittis non tenes lineam justicie, cum justicia sit reddere unicuique, quod suum est; non autem auferre aliquid sicut faciunt servientes tui.

a. Ps. XCVI, 10.

a. Deut. XVII, 20. — *b*. Eccli IV, 33.

XXXII. Si quis habet querelam contra te, sis pocius pro causa illius donec tibi constet de veritate, sic debent illi de consilio tuo stare citius pro justicia. Sed intellige, domine rex, quod mille et mille homines habent causam contra te pro debitis tuis non solutis. Ordines ergo aliquem bonum modum, per quem, debita tua possint persolvi, et quia es in mora solvendi, teneris ad omnia damna creditorum.

XXXIII. Item, pro certo intelligas quod si tenes aliquid de alieno, sive de antecessoribus, sive a tempore tuo, statim restituere debes. Si autem sit res obscura, facias diligenter inquiri per homines fideles et discretos. Et ex hac monicione sequitur, quod omnia bona defunctorum, ad te devoluta, que per eos defunctos injuste fuerint acquisita, teneris restituere illis quibus de jure debentur. Sed ut communiter dicitur hoc non facis.

XXXIV. Item, sic dilige pacem, quod omnes subditi tui, in pace et justicia serventur, et maxime religiose et ecclesiastice persone. Dicitur enim de rege Philippo quod quidam de consiliariis suis dixit ei semel, quod clerici multa damna inferebant ei, jura sua usurpando, et mirabantur quod ita tolerabat. Cui rex sapienter et humiliter respondit: Credo bene quod vera dicis, sed quando cogito de beneficiis que mihi contulit Deus, melius volo pati quam suscitare scandalum, inter me et ecclesiam. Ex hac monicione sequitur, quod servientes tui non debent res aliquas capere, pro minori precio quam venditor velit dare, et si fecerint pacem et justiciam non servant. Rom. XIII: *Qui diligit proximum legem implevit.* Et sequitur: *non concupisces*[a] rem proximi tui. Nunc benedictus Deus, est pax in tota ista terra, preter quam in partibus (in quibus) ubi tu venis. Et de hoc, debes erubescere, cum debeas pacem custodire et alios inducere totis nisibus tuis, ad pacem firmiter tenendam.

XXXV. Item, ama personas ecclesiasticas, et serva in quantum potes pacem earum. II Corinth. ultimo: *Habete pa-*

a. Rom. XIII, 8, 9.

cem et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum[a]. Similiter subveni eis, in necessitatibus et maxime ipsis per quos Deus magis honoratur in mundo. Ex hac monicione sequitur, quod non debes capere bona alicujus, ipso invito, quod si feceris non est pax.

XXXVI. Item honora parentes tuos, reverenter serva mandata eorum. Ex hac monicione sequitur, quod non debes bona capere alicujus, ipso invito, quia mandatum est Dei qui debet esse pater tuus. Exodi xx : *Quod non debes concupiscere res alienas*[a]. Ergo multo forcius non debes capere res alienas, invito domino. Matth. vii : *Omnia quecumque vultis ut faciant vobis homines; ita et vos facite illis*[b]. Sed tu nolles quod quis caperet bona tua, te invito, dato quod verum precium velit tibi solvere, ergo nec tu facere debes alii, nec permittere debes, quod servientes tui faciant, si volueris Deo placere. Item, ecclesiastica bona idoneis personis, de consilio virorum spiritualium, et eis qui nullum aliquod habent beneficium. Eodem modo, domine rex, consulo quod tu ordines, de hospitio et de familia tua secundum consilium virorum spiritualium, attentis diligenter debitis tuis, et debitis patris tui, et avi, que sunt, ut dicitur, infinita, ad quorum omnium solucionem tu teneris, et ideo, cave tibi.

XXXVII. Item, cave ne absque magno consilio (cum aliquo) guerram incipias christiano. Et si oporteat, fac caute, ne innocentes aut ecclesie vel res ecclesiarum sine merito puniantur. Et quam cito poteris, pacifica guerras et contenciones tuas, et eciam subditorum tuorum, sicut fecit beatus Mauricius. Sed adverte, domine rex, quod sine bono consilio facis guerram singulis diebus, capiendo bona diversorum hominum, ipsis invitis. Et ideo, consulo pro tuo commodo et honore quod tu pacificas hujusmodi guerras, sine mora, si volueris tibi, et filio tuo, regnum conservare, et hoc est statuere, quod quilibet possit esse dominus rerum suarum ; videlicet ne quis capiat bona aliena, domino rerum invito.

a. II Cor. XIII, 11.

a. Exod. XX, 17. — *b*. Matt. VII, 12 ; (Luc VI, 31).

XXXVIII. Item, sis sollicitus ut habeas fideles ballivos, et prepositos, et inquire diligenter quomodo se gerant. Similiter de hospicio tuo. Sed, domine rex, pro certo dico tibi, de esculentis et poculentis et aliis necessariis, decipiunt te et seipsos, saltem in hoc quod capiunt multa bona aliorum contra eorum voluntatem[1]. Nam ex hoc, incurrunt indignacionem Dei et populi anglicani, ut superius est notatum. Et scire te volo, domine rex, quod nulla est sapiencia, tenere tantam multitudinem hominum et equorum ad tuas expensas, sicut tu facis, ex quo pax est nunc in terra ista, benedictus Deus, sed magna stulticia. Nonne stultus est, qui plus expendit quam habet in bonis? Certe, sic. Sed dicitur communiter, quod omnia mobilia que tu habes in mundo, dato quod in triplum, non sufficiunt ad debita tua, et debita patris tui et avi persolvenda, ad quorum solucionem tu teneris; qua audacia audes facere tot expensas? Non credas quod filius tuus velit debita tua solvere, non plus quam tu, debita patris tui. Et ideo, consulo quod diminuas de expensis domus tue, ut satisfacere poteris creditoribus tuis, et patris, et avi; si velis animam tuam salvare, et ideo necessarium est tibi cavere a superfluitate, et abundancia expensarum, et a stultis et superfluis donacionibus, ut de cetero militari poteris Deo nostro. Superfluitas expensarum est destruccio regni, quia quando superfluitas expensarum superabat redditus civitatum, et sic redditibus et expensis deficientibus, reges extenderunt manus suas ad res et redditus aliorum. Subditi vero, propter injuriam clamaverunt ad Dominum Deum excelsum et gloriosum, qui immittens ventum validum, afflixit eos vehementer, et insurrexit populus contra eos, et nomina eorum de terra penitus deleverunt. Et ideo cave tibi, et adverte ne tradas oblivioni quid accidit patri tuo.

XXXIX. Item, semper obediens esto et devotus ecclesie Romane et domino pape, tamquam patri spirituali. Et ego dico tibi, domino regi, quod non est de voluntate domini pape, quod tui ministri capient aliqua bona contra voluntatem dominorum quorum sunt bona, quia ipse papa, a quo, tu tenes totam ter-

XXXVIII. [1] cum tamen nullo modo jure hoc facere possunt nisi ad tui et eorum damnacionem A.

ram anglicanam, hoc non facit, nec permitteretur forte facere, in locis in quibus moratur. Ergo nec tu poteris hec facere ; et maxime, quia est contra voluntatem Dei. Exodi xx : *Non concupisces rem proximi tui.*

XL. Item, labora quod omne peccatum de terra tua ammoveatur, maxime autem blasphemie et hereses. Adverte, domine rex, ad illud quod non regnat in curia tua ; et primo, amoveas illud, videlicet quod ministri tui capiunt multa, ipsis invitis quorum sunt bona. Et quod illud sit peccatum, satis est superius notatum.

XLI. Item, memoriter recognosce et regraciare Deo, super beneficiis suis, et attende quod expense domus tue cum moderamine fiant. Sed intellige, domine rex, quod non regraciaris Deo super beneficiis suis, ex quo tot beneficia contulit tibi, et tu permittis ministros tuos capere multa bona a pauperibus hospicia tenentibus, quibus foret pocius aliquid conferendum, intuitu charitatis. De expensis autem domus tue, quod fiant cum moderamine. Dico tibi, domino regi, quod non est aliquis homo in terra ista, qui plus indiget quam tu, quam expense domus sue fiant cum moderamine, quia non est aliquis qui tot debet debita ; et ideo, de cetero, bene provideas tibi ipsi, ut expense domus tue fiant cum moderamine, propter debita tua, diversis et multis creditoribus persolvenda. Vide dominum regem Francie, quanto moderamine, quam sapienter, quam sagaciter, facit expensas sue domus. Et ex quo ipse facit sapienter, consulo quod tu facias similiter. Et hoc potissimum ob salutem anime tue, ut a diversis et multimodis debitis cicius poteris liberari.

XLII. Item, si discedam ante te, volo ut facias animam meam fideliter juvari in missis, orationibus, elemosinis, et mittas per sanctas congregationes regni ad orationum suffragia impendenda. Et hoc idem consulo quod tu facias, pro patre tuo, et una cum hoc, facias statui et ordinari, pro anima patris tui, quia multum indiget, et pro salvatione anime tue, quod de cetero, nullus de curia tua, nec quicumquealius, capiat res alicujus, contra suam voluntatem. Quod si nolueris hoc facere,

nescio videre qualiter venies ad numerum salvandorum, neque ad regnum Dei, ut patet supra in prima monicione Sancti Ludovici. Et, domine rex, scire debes quod dicitur ad Romanos XIIII : *Non est regnum Dei esca et potus, sed justicia, pax, et gaudium*[a]. Sed, ubi tu venis in terra ista, multis hominibus facis injusticiam, a quibus capiuntur bona contra eorum voluntatem, et in hoc, non est pax, neque gaudium. Et dicitur, juxta ad Corinthios ultimo : *Habete pacem et Deus pacis et dileccionis erit vobiscum*[b]. Sed, ubi venis cum magna familia, et tui ministri capiunt bona multa contra eorum voluntatem, non est ibi pax. Et ideo, timendum est multum quod Deus pacis et dileccionis non est tecum, neque cum familia tua, et ideo de cetero cave tibi.

CAPITULUM DUODECIMUM.

XLIII. O domine mi rex, obsecro ne irascaris, si adhuc semel loquar tibi. Cum venerit aliquis ad villam, de familia tua, ad providenciam tibi faciendam, pro aucis et gallinis, inter ceteras aucas et gallinas, capit de una paupercula femina, unam gallinam, de qua potuit in ebdomada habere quatuor vel quinque ova, ad sustentacionem suam et filiorum suorum; ille dat sibi unum denarium, vel ad plus, denarium et obolum, et aliquando, nihil. Illa paupercula noluit illam gallinam dedisse pro tribus denariis. Ista gallina, quia pinguis est, paratur pro ore tuo. Tu, de illa gallina comedendo[1] letaris, paupercula mulier tristatur ; tu rides, ista flet ; tu de gallina injuste acquisita, imples ventrem tuum ; ipsa esurit et mendicat panem suum ; tu de aliis multis injuste acquisitis, epularis splendide, ipsa quasi nihil habet comedere. Tu, in diviciarum ubertate, ipsa, in extrema paupertate ; tu, in vestibus de-

XLIII. [1] comedens R., A.

a. Rom. XIV, 17. — *b*. II Cor. XIII, 11.

auratis, ipsa, in vestibus dilaceratis; tu, habundas, ipsa indiget; tu, tenes hospicium cum militibus et aliis, pro delicatis cibariis gaudentibus, ipsa tenet hospicium cum pueris suis pro defectu panis lachrimantibus. Quero a te: qua audacia, qua temeritate, quo instinctu, audes comedere de tali gallina? De hujusmodi gallinis et aucis, de ceteris rebus extortis, facis festa tua, gaudia et cantica, sed promitto tibi, quod omnia talia convertentur in luctum et dolorem, nisi remedium super hoc cicius apponatur; juxta illud, Amos VIII: *Convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra, in planctum* [a]. Tale gaudium terminatur ad eternum supplicium, ut delectacio scabiosa ad dolorem: Job. XXXI: *Tenent tympanum, et cytharam, et gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, scienciam viarum tuarum nolumus* [b]. Isaie XXXIII: *Ve qui predaris, nonne et ipse depredaberis? Ve qui spernis, nonne et ipse sperneris? Cum consummaveris depredacionem depredaberis* [c]. Vide quid accidit patri tuo.

XLIV. Sed usque huc, Deus pepercit tibi, et hoc, certe credo, propter tuam innocentiam et Dei misericordiam. Sed, in brevi, timendum est, quod nisi predicta facias emendari, venient super te tribulaciones et angustia, et si tunc, clamaveris ad Dominum, timendum est quod Deus te non exaudiet, quia multociens pro pauperibus ad te clamavi, ut tolleres de terra ista illud maledictum prerogativum, juri divino et humano contrarium, scilicet capere res alienas pro minori precio quam venditor velit dare, et non exaudisti me. Juxta illud Proverbiorum XXI: *Qui non vult audire clamorem pauperis, ipse clamabit ad Deum, et non exaudietur* [a]. Proverbiorum primo: *Vocavi,* scilicet per sanam doctrinam, *et renuisti; extendi manum meam,* scilicet, multa bona tibi largiendo et *non considerasti.* Et sequitur: *Cum venerint super te, tribulaciones et angustie, tunc vocabis me et non exaudiam te, eo quod*

a. Amos. VIII, 10. — *b.* Job. XXI, 12, 13, 14. — c. Isai. XXXIII, 1.

a. Prov. XXI, 13. — *b.* Prov. I, 24, 25, 27, 29. — c. Isai. LXIII, 4, 5.

exosam habuisti disciplinam meam et timorem non suscepisti in Deum et non acquievisti consilio bono[b]. Isaie LXIII : *Dies ulcionis venit, circumspexi, et non erat auxiliator ; quesivi, et non erat qui adjuvaret*[c]. Et adverte, domine rex, diligenter ad id quod Luc. dicitur XVI[d]: Dives quidam noluit dare aliquid cuidam mendicanti, ad portam suam jacenti, ulceribus pleno. Moritur ille mendicus, et ab Angelis portatur in celum. Moritur ille dives, et sepultus est in inferno. Iste dives, ut ait Gregorius, non est punitus quia aliena rapuit, sed quia propria non dedit indigenti. Qua ergo pena puniendus est qui capit bona ab indigente ? Si infernali damnacione percutitur, qui propria indigenti non largitur. Certum est, quod multo majore pena, quia in inferno multe sunt diverse pene, sicut in celo sunt diverse mansiones.

XLV. Idcirco, moneo te, rex, iterum atque iterum, ob salutem anime tue, ut non permittas ab aliquo res alienas capi, pro minori precio quam venditor velit eas dare. Et qui huic ordinacioni non consenserunt, delebuntur de numero salvandorum, juxta illud Psalmiste : *Deleantur de libro vivencium, et cum justis non scribantur*[a]. Quia tales non sunt justi, et ideo, cum injustis remanebunt ; scilicet, in inferno ubi nulla est redemptio. Sed mirandum est, et dolendum, et non modica ammiracione mirandum, et eciam dolendum, qua audacia, qua temeritate, quo spiritu diabolico ducti, maximi viri litterati, cum domino rege morantes, audent comedere de talibus gallinis, et aucis, et ceteris rebus, injuste acquisitis, cum et ipsi nullo modo possunt pretendere ignoranciam, quia hoc est notorium, licet dominus rex possit pretendere ignoranciam talem qualem. Utinam adverterent et intelligerent singulis diebus, ante prandium, id quod dicitur ibi, juxta Joannis IIII : *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo*[b]. Sed certum est, quod illi non sunt in caritate, qui consentiunt hujusmodi capcionibus, cum consentientes et agentes, pari pena sint puniendi. Et quod non sunt in cari-

— *d*. Luc XVI, 19-22.

a. Ps. LXVIII, 29. — *b*. I.Joan. IV, 16. — *c*. I Joan. III, 17.

tate, patet per illud quod dicitur juxta Johannis III : *Qui habuerit substanciam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo : quomodo caritas Dei manet in illo*[c]. Et multo minus manet caritas Dei in cœlo. Qui consentit quod bona pauperum capiantur, ipsis invitis, quia a talibus capiuntur auce et galline, et multa alia bona, ad usum regis et familie sue.

XLVI. Sed forte, clerici de curia, sapientes mundo, excusant se et dicunt, quod non consenciunt hujusmodi factis, sed talia fiunt, ipsis invitis. Immo, certo consenciunt, et participes sunt delicti coram summo Deo, ex quo scienter, ex hujusmodi aucis et gallinis, et cetera bona comedunt, quia plus creditur facto quam verbo, et plus sit facto facere, quam verbo ostendere. Sic dicitur ad Titum I : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*[a]. Juxta illud ad Thessalos III : *Dominus dirigat corda vestra in caritate.* Et sequitur : *Subtrahite vos ab omni fratre inordinate ambulante*[b]. Et error cui non resistitur, approbatur. Preterea, secundum Augustinum[c] : Caritas est actio rectitudinis, oculos semper habens in Deum ; et caritas pascit esurientem. Sed, domine mi rex, ministri tui spoliant esurientem, dum capiunt a pauperibus aucas et gallinas. Item, dicit Bernardus[d], quod proprium caritatis est nutrire concordiam. Unde Ecclesiastici XXV : Tria sunt *coram Deo et hominibus probata, videlicet concordia fratrum, amor proximorum, vir et mulier sibi bene consentientes*[e]. Cum ergo illi de familia tua capiunt res alienas pro minore precio quam venditor velit dare, non est ibi concordia, sed discordia, nec amor fratrum, sed pocius odium et opus pravum. Jacobi III : *Ubi zelus et contencio, ibi inconstancia, et omne opus pravum*[f]. Idcirco viri litterati, et alii habentes spiritum Dei, cum domino rege morantes, debent unanimiter ad eum accedere, vel aliquis discretus, nomine eorum, qui dicet quod non permittat de cetero fieri hujusmodi capciones, contra voluntatem dominorum ; quia salva

a. Tit. I, 16. — *b*. I Thess. III, 5, 6. — c. S. Augustini Sermo XXI, *P. L.*, t. XXXVIII, p. 144. — *d*. Sancti Bernardi *Epist.* XI, § 4, *ad Guidonem et ceteros Cartusiae majoris religiosos*, *P. L.*, t. CLXXXII, p. 108. — *e*. Eccli XXV, 1, 2. — *f*. Jac. III, 16.

consciencia, de hujusmodi rebus, non licet eis comedere, seu pro se, seu pro aliis, aliquid contingere vel habere, et sic, forte induceretur rex ad tollendum illud prerogativum maledictum.

XLVII. Sed timendum est quod multi viri litterati et alii cum domino rege morantes, *sunt speculatores ceci, et canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia*. Et sequitur : *Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avariciam suam, a summo usque ad novissimum* [a], ut dicitur Isaie LVI. Nec mirum, ut dicitur, Isaie I : *Omnes diligunt munera et sequuntur retributiones* [b]. Jeremie VIII : *A minimo usque ad maximum omnes avariciam sequntur* [c]. Et ideo timere possunt illud Job XV : *Ignis devorabit tabernacula eorum qui libenter accipiunt munera* [d]. Sed emendent se ab istis ; et tunc inducent dominum regem ad tollendum illud maledictum prerogativum : juxta illud II ad Timotheum II : *Si quis emendaverit se ab istis, erit vas in honore sanctificatum, et utile in Domino ad omne opus bonum paratum* [e]. Proverbiorum. XXV : *Aufer iniquitatem de vultu regis et firmabitur thronus ejus in justicia* [f].

CAPITULUM TERCIUMDECIMUM.

XLVIII. O Domine mi rex, utinam saperes ac intelligeres, ac novissima provideres. Saperes, id est, intime cogitares, quid prodest, et prodesse tibi poterit, habere amorem Dei et amorem populi tui anglicani ; et intelligeres quid nocet et nocere tibi poterit, habere odium Dei, et odium populi tui anglicani ; ac novissima provideres, scilicet, mortem tuam, quando, qualiter, et ubi, Deus novit ; certe ordinares te, et familiam tuam, ita ut amorem Dei et populi tui anglicani haberes. Et ego dico tibi, coram Deo, quod nunquam habebis

a. Isai. LVI, 10, 11. — *b*. Isai. I, 23. — c. Jer. VIII, 10. — *d*. Job. XV, 34. — *e* II Tim. II, 21. — *f*. Eccli. XXV, 5.

amorem Dei et populi tui anglicani[1], quamdiu servientes tui, te consenciente, capiunt res alienas pro minori quam venditor velit dare. Psalmus : *Qui diligitis Deum, odite malum*[a]. Sed malum et injustum est, capere res alienas, domino invito; quia pro certo, hec non faceres de amico quem diligis. Et hoc est preceptum Dei, ut diligas proximum tuum sicut teipsum. Matth. xxii et Luc. x : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo ex tota anima tua, et ex tota mente, et proximum tuum, sicut teipsum*[b]. Scire enim te volo, quod non habes amorem populi anglicani sicut bonus rex debet habere ; quia de bono rege, gaudet populus in adventu ejus, et populus multum desiderat adventum boni regis ; sed de tuo adventu, ut communiter dicitur, tristatur populus anglicanus, et hoc, propter capciones quas servientes tui capiunt.

XLIX. Et ideo, dico tibi, domino regi, si hujusmodi capciones et depredaciones durent in curia tua usque ad mortem tuam de consensu tuo, tu dices : Heu, heu, heu. Et quare ter heu dico, quod dices? Primo, heu quod unquam natus fuisti. Et quare? Quia semper fuit heu, ubicumque in terram tuam venisti. Sed majus heu, erit tibi, quando anima tua separabitur a corpore et liberabitur diabolo. Sed adhuc maximum heu erit tibi, cum anima tua portabitur ad infernum, et ibi erit in heu et cruciabitur sine fine. Et hoc, recto Dei judicio; quia sicut de adventu tuo semper fuit heu in quocumque loco moram traxeras, propter extorsiones quas fecerunt servientes tui, te permittente, videlicet, capere res aliorum pro minori precio quam voluerunt dare, sic anima tua, post mortem in heu remanebit, usque in diem judicii, et tunc redibit corpus ad animam, et corpus cum anima simul condemnabuntur incendiis sempiternis, nam qui socii fuerunt in viciis, socii erunt in penis. Una namque pena implicat, quos unus amor in crimine ligat. Et ideo, cave tibi. Et propter hujusmodi pericula, non tardas tollere illud maledictum prerogativum, scilicet, capere

XLVIII. [1] (et populi tui anglicani) quem habere non poteris quamdiu servientes tui. A.

a. Ps. XCVI, 10. — *b*. Matt. XXII, 37, 38 ; Luc. X, 27.

res pro *minori precio* quam venditor velit dare. Juxta illud Ecclesiastici v : *Ne tardas converti ad Dominum et ne differas de die in diem; subito enim veniet via illius, et in tempore vindicte, disperdet te*[a]. Adverte eciam diligenter et nullo modo tradas oblivioni, id quod dicitur Deuteronomii xi : *Propono coram te, hodie malediccionem et benediccionem; benediccionem, si obedieris preceptis Dei vestri, malediccionem si non obedieris*[b]. Cum ergo istud est unum de preceptis Dei, Exodi xx : *Non concupisces res alterius*[c], invito domino, ergo, multo forcius, non debes capere per tuos famulos res alienas, invito domino, saltem durante pace in terra ista, sicut nunc est benedictus Deus.

L. Si autem nolueris tollere illud maledictum prerogativum, timere poteris illud quod dicitur in Psalmo : *Maledicti qui declinant a mandatis tuis*[a]. Exodi ii : *Filii Israël ingemiscentes propter opera eis imposita, ascenditque clamor eorum ad Deum, pro operibus impositis. Et audivit Deus gemitum eorum*[b]. Et Exodi iii ait Dominus ad Moysen : *Videns vidi afflictionem populi mei in Egypto, et clamorem ejus audivit, propter duriciam eorum qui presunt : et sciens dolorem, descendi, ut liberarem eum de manibus Egyptiorum*[c]. Sic erit de te, nisi tollas illud predictum maledictum prerogativum de terra tua, liberabit Dominus populum anglicanum, de manibus tuis, cicius quam tu credis. Timere eciam poteris de multis malis et periculis que dicuntur Deuteronomii xxviii[d]. Cogita de predecessoribus tuis, quid nunc habent de omnibus bonis mundi que habuerunt, et qualiter de hoc seculo recesserunt. Si autem tollas[1] de terra tua, illud maledictum prerogativum et *in Dei preceptis ambulaveris, dabit tibi Deus pluvias temporibus suis, et terra gignet germen*[2] *suum, et arbores replebuntur bonis pomis*. Et sequitur : *Et absque pavore habitabis in terra tua, et habebis pacem in terra tua*[e], ut di-

L. [1] tuleris A. — [2] fructum A.

a. Eccli. V, 8, 9. — *b*. Deut. XI, 26, 27, 28. — c. Exod. XX, 17.

a. Ps. CXVIII, 21. — *b*. Exod. II, 23, 24. — c. Exod. III, 7, 8. — *d*. Deut. XXVIII, ubi multiplex promittitur observantibus legem be-

citur Levitici xxvi. Unde Deuteronomii iiii : *Scito ergo hodie et cogita in corde tuo, quod Dominus ipse est Deus in celo sursum, et in terra deorsum, et non sit alius Deus. Custodi precepta ejus atque mandata, ut bene tibi sit et filiis tuis post te; et permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tibi dedit*[f]. Ecclesiastici iii : *Que tibi Deus precepit, illa cogita semper*[g]. Ibidem xxix. *Pone cor tuum in preceptis Dei et proderit tibi magis quam aurum*[h]. Et si sic feceris, poteris secure ire ad bellum contra hostes tuos. Deuteronomii xx : *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris majorem multitudinem exercitus adversarii tui quam tu habes, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum est.* Et facies unum proclamare ad populum sic : *Nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis hostes vestros, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios vestros dimicabit ut eruat vos de periculo*[i], etc.

LI. Et scias pro certo, quod si custodias bene mandata Dei, venient ad te infinita bona, de quibus dicitur : Deuteronomii xxvii : *Si custodias mandata Dei tui faciet te, Deus tuus, excelsiorem cunctis gentibus que versantur in terra, venientque super te universe benedicciones hec. Benedictus tu, in civitate et benedictus in agro; benedictus fructus tue terre fructusque jumentorum tuorum, et caules ovium tuarum. Benedicam horrea tua, et benedictus eris ingrediens et egrediens. Dabit tibi Dominus, inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo; per unam viam contra te venient, et per septem fugient a facie tua. Emittet Dominus benedictionem super cibaria tua et super omnia opera manuum tuarum.* Et sequitur : *Videbuntque omnes terrarum populi, quod nomen Domini invocatum sit super te et timebunt te; abundare te faciet omnibus bonis,* etc. Unde, domine rex, scire debes secundum plurimos sapientes et divinitus loquentes, quod decet regiam majestatem obtemperari se legalibus institutis; non in ficti apparencia, sed in facti evidencia, ut omnes cognoscant

nedictio, et transgredientibus maledictio. — *e*. Levit. XXVI, 3, 4, 5. — *f*. Deut. IV, 39, 40. — *g*. Eccli. III, 22. — *h*. Eccli. XXIX, 14. — *i*. Deut. XX, 1, 3, 4.

ipsum regem timere Deum excelsum et subjectum divine potencie. Tunc enim solent homines revereri et timere regem, quando vident eum, et timere et revereri Deum. Si autem in apparencia, ostendat se legibus obtemperare, et in operibus, sit malefactor, cum difficile sit nefaria opera celari, et apud populum ignorari, a Deo reprobabitur, et ab hominibus contemnetur, infatuabitur ejus factum, diminuetur ejus imperium, diadema glorie sue carebit honore. Et ideo, domine rex, cave tibi et provide, ne quis capiat bona aliorum contra eorum voluntatem, cum hoc sit contra legalia instituta.

CAPITULUM QUARTUMDECIMUM.

LII. O domine mi rex, adverte diligenter quod jam quadraginta annis elapsis, scilicet, ab illo tempore, quo ille nobilis rex Edwardus, avus tuus, incepit uti illo predicto prerogativo, scilicet capere res alienas pro minori precio quam venditor voluerat dare, non fuerat tanta pax in hac terra sicut nunc et jam fuit anno lapso; preterquam in partibus illis in quibus tu transitum tuum facis. Ibi enim, debet esse pax et gaudium; sed ibi, neque est pax, neque gaudium. Nec mirum, quia dicitur Isaie XLVIII et LVII : *Non est pax impiis, dicit Dominus*[a]. Ezechiel XIII : *Deceperunt populum dicentes : pax et non est pax*[b]. Et ideo, timendum est de tuo periculo, juxta illud ad Thessalon. V : *Cum enim dixerint pax et securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus*[c]. Et hoc, quia populus multum gravatur in adventu tuo, cum bona eorum capiantur, contra eorum voluntatem, per ministros tuos. Sed spero, per graciam Dei, quod pax et gaudium hujus terre, que jam fuerunt anno isto, sunt kalende pacis et gaudii, que erunt de cetero in adventu tuo. Et hoc est statuere et ordinare, ne quis capiat de bonis alterius, contra suam voluntatem. Et nisi sic feceris, nunquam erit gaudium in tuo adventu et valde timen-

a. Isai. XLVIII, 22; LVII, 21. — *b*. Ezec. XIII, 10. — c. I Thess.

dum est quod insurget contra te populus hujus terrae. Cave bene tibi. Et ideo, consilium meum est, ut populus gaudeat de tuo adventu et in recessu tuo tristiciam habeat et dolorem. Et tunc dicetur de te illud II Esdre VI : *Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificaret Dominum Deum in Jerusalem*[d], et totam terram anglicanam, et sic, maximus honor tibi accrescet, et erit pax et gaudium, ubicumque veneris in regno tuo. Et tunc, dicere poteris illud Isaie XXXIX : *Fiat pax et veritas in diebus meis*[e]. Hebr. XIII : *Pacem sequimini cum omnibus, sine qua nemo videbit Deum*[f]. Juxta Petri III : *Qui vult vitam diligere et videre dies bonos; divertat a malo, et faciat bonum, inquirat pacem, et sequatur eam, quia oculi Domini super justos et aures ejus ad preces eorum*[g]. Quantum ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Et sic, pervenire incipies ad numerum salvandorum.

LIII. CAPITULUM QUINTUMDECIMUM.

O domine mi rex, adverte diligenter, et scribe in portis tuis, in aulis camere, et ubicumque in ostiis et fenestris, ac singulis diebus, in corde tuo revolve, et ad mensam lege, et nullo modo tradas oblivioni, illud salutiferum consilium et divinum sepius repetitum, quod Dominus omnipotens consulit per beatum Moysen, Deuteronomii XXXII : *Utinam saperes et intelligeres ac novissima provideres.* O mira et utilis sentencia, non semel, sed sepius die nocteque repetenda! Utinam saperes et intelligeres ac novissima provideres. Saperes, id est, viam ad celum cognosceres, in quo sunt divicie et delicie et honores. Ibi, summa securitas, felicitas summa, felix libertas, felix beatitudo. Et intelligeres, scilicet, viam que ducit ad infernum, in quo est dolor intolerabilis, fetor incomparabilis,

V, 3. — *d*. IV Esdrae, III, 28. — *e*. Isai. XXXIX, 8. — *f*. Hebr. XII, 14. — *g*. I Petr. III, 10, 11, 12.

timor horribilis, horrida visio demonum, confusio peccatorum, desperacio omnium bonorum. Ac novissima provideres, scilicet, mortem tuam que subito veniet et forsitan hodie erit. Certum est enim, quod morieris sed incertum est, quando, aut quomodo, vel ubi. Certe si scires, eligeres et teneres illam viam que ducit ad celum, et relinqueres illam, que ducit ad infernum. Sed, recta via ad celum, est servare mandata Dei et via ad infernum, est non servare illa. Unde, inter mandata Dei, ut dicitur Exodi xx[b], et ad Romanos xiii, est unum, scilicet : *non concupisces rem proximi tui*[c]. Ergo, non debes capere res alterius pro minori precio quam venditor voluerit dare tibi. Quod si feceris, vel aliquis tuorum, te consenciente, tunc es in via ad infernum. Quia cum offenderis in uno, factus es omnium reus, quia omnis virtus patitur defectum ab uno vicio. Dum enim in uno peccato perseveras, omnia bona perdis. Ecclesiastici ix : *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet*[d]. Et ideo, pro salute anime tue, eligas tibi viam que ducit ad celum, scilicet, ut nullo modo permittas, res alterius capi contra suam voluntatem, saltem tempore pacis, sic nunc est, benedictus Deus. Et sic poteris[1] te tenere in via que ducit ad vitam eternam. Ad quam te perducat[2] Christus Dei filius qui sine fine vivit et regnat. Amen.

Erroribus premissis correctis, et a te sancti Ludovici regis ammonicionibus inchoatis; te docebo qualiter Deo et populo complacebis et sic rectam viam ad celi gaudium ambulabis. Ad quod te perducat Dominus noster Jesus Christus. Amen.

LIII. [1] Dei gracia *add.* R., H[b]. — [2] (te perducat) qui sine fine vivit et regnat per infinita secula seculorum, R., A.

a. Deut. XXXII, 29. — *b*. Exod. XX, 17. — c. Rom. XIII, 9. — *d*. Eccle. IX, 18.

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

Galfridi le Baker de Swynebroke. — *Chronicon*, edidit Edw. Maunde Thompson, Clarendon-Press, Oxford, 1890.

Barnes. — *History of Edward III*, Cambridge, 1688, fol.

Cunningham (W.). — *The growth of english industry and commerce during the early and middle ages*, University Press, Cambridge, 1890.

Walteri de Hemingburgh. — *De gestis regum Angliae*, edidit Hans Hamilton, 1848-1849, 2 vol. (English historical Society).

Hook (W.-F.). — *Lives of the Archbishops of Canterbury*, London, 1860-1869, 8 vol.

Madox (Th.). — *The history and antiquities of the Exchequer*, London, 1769, 2 vol.

Newcourt (Ric.). — *Repertorium Anglicanum*, Londini, 1708-1710, 2 vol. fol.

Reports of the royal Commission on historical Manuscripts, London, 1870 et seq.

Roberti de Monte. — *Chronica*, edidit L. Delisle (Soc. Hist. Normand., 1872-1873).

Rolls Series (Rerum Britannicarum medii aevi scriptores). — *Annales monastici*, edidit Rich. Luard.

t. II, *Annales monasterii de Waverleia; Annales monasterii de Wintonia*, 1865.

t. III. *Annales prioratus de Dunstaplia*, 1866.

t. IV. *Annales monasterii de Oseneia; Annales prioratus de Wigornia*, 1869.

Chronica monasterii Sancti Albani, edidit Th. Riley. Thomae Walsingham quondam monachi Sancti Albani, *Historia Anglicana*, 1863, 2 vol. Ejusdem, *Ypodigma Neustriae*, 1876.

Chronicon Angliae, auctore monacho quodam sancti Albani, edidit Edw. Maunde Thompson, 1874.

— Radulphi de Diceto, *opera historica*, edidit W. Stubbs, 1876.

— Eadmeri, *Historia novorum in Anglia*, edidit Martin Rule, 1884.

— *Flores historiarum*, edidit H. R. Luard, 1890, 3 vol.

Chronicon Angliae, auctore monacho quodam sancti Albani,
— Ranulphi de Higden, *Polychronicon,* edidit I, II, Churchill Babington 1865-1869, III-IX, J. Rawson Lumby 1871-1886.
— Rogeri de Hoveden, *Chronica,* edidit W. Stubbs, 1868-1871, 4 vol.
— Henrici Archidiaconi Huntendunensis, *Historia Anglorum,* edidit Th. Arnold, 1879.
— Henrici Knighton, *Chronicon,* edidit J. Rawson Lumby, I, 1889
— *Litterae Cantuarienses,* edidit J. Brigstocke Sheppard, I-III, 1887-1889.
— *Royal and historical letters illustrative of the reign of Henry II,* edidit W. Waddington Shirley, 1862-1866, 2 vol.
— Willielmi Malmesbiriensis monachi, *De gestis regum Anglorum,* edidit W. Stubbs, 1887-1889, 2 vol.
— Adami Murimutensis, *Continuatio Chronicorum;* Robertus de Avesbury, *de Gestis mirabilibus regis Edwardi III,* edidit Edw. Maunde Thompson, 1889.
— Matheus Parisiensis, *Chronica major,* edidit Ric. Luard, 1872-1882, 4 vol.
— Benedicti Petroburgensis, *Gesta regis Henrici II,* edidit W. Stubbs, 1867, 2 vol.
— *Political Poems and Songs,* edidit Th. Wright 1859-1861, 2 vol.

Rotuli Parliamentorum (1278-1503) Record Commission. Londini, 1767-1777, 6 vol. fol.

Rymer. — *Foedera,* nova editio accurantibus Ad. Clarke et Fred. Holbrooke, Londini, 1816 et seqq.

Spelman (H.). — *Councils and ecclesiastical documents relating to Great Britain and Ireland,* edited by W. Haddan et W. Stubbs. Oxford, 1869-1871, 3 vol. 8°.

Stubbs W. — *Constitutional history of England,* Clarendon Press, Oxford, Crown 8°, t. I 4th ed. 1883 ; t. II 3d ed. 1883; t. III 3d ed. 1884.

Wharton (H.). — *Anglia Sacra,* Londini, 1691, 2 vol. fol.

Wilkins. — *Concilia Magnae Britanniae et Hiberniae,* Londini, 1737, 4 vol. fol.

INDEX RERUM

CARNUTI, APUD DURAND, TYPOGRAPHUM.

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

a. d. v Idus Mai. anno MDCCCLXXXXI,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus

A. HIMLY.

Typis mandetur

Academiae Parisiensis Rector

GRÉARD.

ERRATA

P. 19, l. 23, nec enim is erat qui aliud nisi, *corrige,* nec enim is erat aliud nisi.

P. 39 (nota 5), Rot. t. Parl. I, *corrige,* Rot. Parl., t. I.

P. 49, l. 1, *lege,* ut usque in Brabantiae nundinas aut alibi transferantur, naves onerariae summa regis potestate imperatae, etc.

P. 57, l. 8, quod agris egetesque, *corrige,* quod agri segetesque.